



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dissertationes Ad Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum

Bessel, Johann Franz

Coloniæ, 1715

VD18 14847493

Dissertatio I. De Dignitate Summi Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61383](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61383)

DISSERTATIO I.

DE
DIGNITATE SUMMI PONTIFICIS.

§. I.

AN DETUR STATUS ECCLESIASTICUS?

SUMMARIA.

1. Status Ecclesiasticus quid significet? 2. Quid sit Ecclesia? 3. An detur vera Christi Ecclesia? 4. Sol-

vuntur Objectiones. 5. Nota vera Ecclesie. 6. An Status Ecclesiasticus Romanus sit Monarchicus.

STatus Ecclesiasticus hic aliud non significat, nisi ipsam ordinationem & conditionem Ecclesie, quo sensu loquitur Rubrica ff. de Statu hominum, alio plane sensu, sed improprie appellatur Status Ecclesiasticus, der Kirchen, Staat / ipsam Territorium & Patrimonium Petri; Dum ergo quaritur, an detur Status, sive conditio & ordo Ecclesiasticus, primo quari potest, An detur Ecclesia, sive Respublica Ecclesiastica vera?

Nota Ecclesiam dupliciter accipi posse, 1. pro illa sola Ecclesia particulari, quae olim Romae fuit, & nunc est, 2. pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adhaerebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhaerent, & hoc posteriori sensu habet varia nomina. 1. Dicitur Catholica seu Universalis, quia toto orbe diffusa.

2. Pontificia, quia Pontifici subiecta
3. Romana, a nobiliori sui parte.

Resp. Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia; Prob. 1. Ecclesia Romana fuit olim vera Ecclesia Christi, ergo adhuc est, antec. admittunt Protestantes, sed dicunt eam defecisse. Probatur ergo consequentia. Ecclesia Christi nequit deficere, ergo si ex concessis Ecclesia Romana semel fuit vera Christi Ecclesia, adhuc erit, prob. antec. alias Portae inferi praevaluissent adversus eam contra illud Matth. 16. item Matth. 25. Christus ait: *Ecco ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Job. 14. Ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabo vobis, ut maneat vobiscum NB. in aeternum, Spiritum veritatis, ille docebit vos omnia.* item Ecclesia dicitur 1. Thimoth. 3. Firmamentum & Columna veritatis, ergo debet esse in fide stabilis. Aug. Lib. 1. de Symb. c. 7. ait: *Pugna-*

Pugnari quidem potest, expugnari non potest.

4. **Objicies 1.** Synagoga Judæorum olim defecit, ergo etiam Ecclesia Christianorum potest deficere. **Resp. 1.** Dist. antec. Synagoga tota N. non tota C. non omnes adorarunt vitulum *Exod. 32.* nec tempore Eliæ, Isaïæ, Jeremiæ defecit Regnum Judæ & *3. Reg. 19.* septem millium virorum genua non sunt curvata ante Baal. **Resp. 2.** T. antec. N. Conseq. Synagoga non erat promissa firmitas, uti Ecclesiæ Christi.

Objicies 2. Ecclesia comparatur lunæ, atqui luna deficit, ergo & Ecclesia. **Dist. Maj.** comparatur lunæ in omnibus N. in aliquibus C. comparatur quatenus Ecclesia jugiter crescit & lumen accipit à sole Christi.

Objicies 3. *Danielis 9.* Deficiet hostia & Sacrificium, ergo & Ecclesia deficit. **Explico antec.** hostia Veteris Testamenti, vel tempore Anti-Christi, quoad publicum cultum in aliquibus locis C. hostia Novi Testamenti vel ubique ante finem mundi N. imo ex his nondum probatur defecisse de præterito.

Objicies 4. Totus orbis ingemuit, & se Arianum esse miratus est, ergo defecit. **Explico,** totus orbis exaggerative & in sensu accomodo sumptus C. totus orbis simpliciter, N.

Objicies 5. Saltem juxta doctrinam Pontificiam crevisset materia fidei post Apostolorum tempora,

ergo Ecclesia Romana non amplius est Apostolica ac consequenter mutata. **Resp. Dist.** crevit quoad substantialia vel secundaria prius non revelata N. crevit in quorundam prius revelatorum distincta notitia & applicatione revelationis antiquæ C. Ecclesia igitur Pontificia non condidit novos articulos, neque proponit quidquam, quasi de novo revelatum, sed declarat ut jam olim revelatum per verbum DEI scriptum aut ab Apostolis traditum. *Sic Trid. Sess. 6. in fin. proem. de Justific.* affirmat se aliud non intendere, quam exponere omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam sol Justitiæ Christus fidei nostræ & conservator docuit, Apostoli tradiderunt, & Ecclesia Catholica Spiritu Sancto suggerente perpetuo retinuit.

Insuper multa sunt determinata in Conciliis, quæ ante impune licuit negare, Ergo Ecclesia antiqua est mutata. **Dist. antec.** multa sunt determinata quoad declarationem explicitam, quæ antea continebatur in implicita quadam universali C. quod novam substantialem revelationem N.

Prob. 2. Ex notis veræ Ecclesiæ, quæ sunt sequentes ex Concilio Nycæno & Constantinopolitano, & quidem 1. Ecclesia Romana est una, 2. est sancta, 3. est catholica, 4. est Apostolica. Et quidem una est, quia ubique habet unam eandemque doctrinam, eadem Sacramenta,

A 2

idem

idem Sacrificium, idem Caput visibile. Est *sancta*, nimirum sanctitate fidei, doctrinæ, mediolorum, quibus re ipsa plures Catholici per singula sæcula ad eximiam sanctitatem pervenerunt. Est *catholica* five universalis tam ratione loci non unius aut alterius provinciæ finibus clausa, tum ratione dogmatum, continens omnia ad salutem necessaria. Est Apostolica tum in successione Pontificum ab ipso primo Pontifice Petro inchoata, de qua successione in §. seq. tam quoad doctrinam, cujus author & ortus post Christum ostendi non potest alius, quam Apostolicus vid. Becan. *Manual. controvers. Lib. 1. cap. 3. n. 11.* Thyrsus Gonzalez. *part. 1. lib. 3. c. 1. §. 2. & 3.*

6 Quæres. 2. *An Status sive Regimen & Ordinatio Ecclesiæ Romanæ sit Monarchicus?*

Status Reipublicæ potest confi-

derari triplex, Monarchicus, Aristocraticus, Democraticus. Monarchia consurgit, quando suprema imperandi potestas uni committitur; Aristocratia obtinet, quando summum Imperium penes plures, quos optimates dicunt existit, Democratia viget, quando universus populus imperat.

Resp. Status Ecclesiæ Romanæ est Monarchicus, five in Ecclesia Romana est vera Monarchica. Ratio. Quia ex §. seqq. constabit, quod suprema imperandi potestas sit commissa soli summo Pontifici, unde etiam *summus Princeps Ecclesiasticus* salutatur, D. Robertus König *de Constit. §. 5. n. 5.*

Quæ autem objiciuntur à Rein-king *de Regim. Eccles. & sæcul. lib. 3. class. 1. c. 10.* Samuele Puffendorff. *Introdult. ad Hist. univ. statim in limine* ubi *de Monarchiâ Pontificis Romani ex seqq. diluentur,*

§. II.

AN NECESSARIUM SIT CAPUT ECCLESIAE, ET QVISNAM SIT?

SUMMARIA.

1. *An necessarium sit Caput Ecclesiæ?*
2. *Solvuntur objectiones.* 3. *An natura religionis Christianæ requirat Caput Ecclesiasticum?* 4. *An S. Petrus fuerit à Christo constitutus Caput Ecclesiæ.* 5. *An Primatus Petri fuerit cum Petro extinctus.* 6. *Quis dica-*

tur Papa. 7. *An Episcopus Romanus sit successor Petri in Primatu.* 8. *Recensentur summi Pontifices.* 9. *Impugnatur series Pontificum.* 10. *An Primatus Petri sit ex Institutione Xti Episcopatus Romano annexus?*

Quæres

1 Quæres 1. An necessarium sit Caput Ecclesie? novissima autem ejus deducit ad mortem. Si.

Resp. Affirmative. Ratio est 1. quia in qualibet Republica datur Caput & summa quædam potestas politica, qua subditi communis subsidii causa in unum cœtum coalescentes regantur ad finem naturalem, & si aberraverint, reducantur. Ergo etiam in Republica Ecclesiastica datur caput & summa quædam potestas ecclesiastica, qua fideles in ordine ad felicitatem æternam in unum congregati instruantur, qualiter actiones suas instituant, & si a tramite veritatis deflexerint, corrigantur, corripiantur.

Ratio 2. In Evangelio comparatur Ecclesia mari. *Matth. 13. v. 47.* assimilatur Civitati *Matth. 5. v. 14.* Regno diffuso *Psalm. 71. v. 8.* Luci. *Matth. 5. v. 15.* Atqui mare nauclearum, qui clavum teneat, Civitas Rectorem, qui fasces habeat, Regnum Regem, qui sceptrum rotet, lux solem, à quo lumen emittet, desiderat, ergo etiam Ecclesia caput & jus dicentem postulat.

Ratio 3. quia in doctrina morum & fidei magnæ & multæ emergunt controversiæ, lites, dubia, ad quæ decidenda opus est judicio & capite seu iudice, qui summam potestatem habeat, & ultra quem nullus dubitare, nullus appellare audeat; spiritus equidem privatus periculosus, varius & incertus est, juxta illud *Proverb. 14. v. 12. est via, qua videtur homini justa,*

Dicas non ad caput Ecclesie, sed ad Scripturam esse recurrendum.

Contra. Scriptura complectitur multa difficilia & ardua intellectu 2 Petri 1. ibi, quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, adeoque interpretem authenticum & caput infallibile efflagitant, ergo penes Ecclesiam est caput, quod jus dicat in singulis causis circa mores & fidem controversis.

Objicies 1. cum Puffendorff. qui 2 rationem & dignitatem capitis ecclesiastici non distinguit a capite & Principe merè politico habente suzeraniam territorialem. Arguitur sic: Neque ex natura Religionis ut sic, neque ex genio Christianæ Religionis proficiscitur, quod caput ecclesiasticum & politicum sint separata, non primum, quia nihil impedit, quo minus quis populum ad divina simul & politica dirigat, cum ab initio quilibet Paterfamilias in suos domesticos utrumque munus & potestatem exercuerit, quæ deinde cum plures familiæ in communitatem perfectam coiverint, ad caput communitatis transit. Non secundum, quia Christianæ Religionis Principes ea, quæ ad instructionem fidelium in fide pertinent, viris doctis & eruditis demandare possunt, suprema potestate ac dignitate sibi reservata. Non tertium, quia in sacris

facris paginis idoneum aliquod argumentum non reperitur.

Resp. Tum divina institutio tum natura Religionis generica & specifica exigit jurisdictionem in uno aliquo capite, quod caput sit ecclesiasticum non laicum. De institutione divina dicetur mox infra. Natura Religionis sic exigit, quia quavis Religio ut sana & sancta sit unitatem desiderat, est enim religio creatura spiritus sancti, qui est spiritus unitatis, adeoque & ipsa debet esse una, atqui nisi sit unum caput Ecclesiae, sive si summa jurisdictione ecclesiastica sit penes plures dominos territoriales, tunc tollitur unitas, totque sunt diversa circa res fidei sensa, quot capita. Si

Dicas. Saltem in statu legis naturae non fuit necessarium Caput Ecclesiasticum, ergo natura Religionis generica non exigit unum caput Ecclesiae R. C. antec. quia in illo statu valde pauca fuerunt hominibus proposita ad credendum explicitè, adeoque non fuit tanta necessitas constituendi unum Principem, qui toti praesset Ecclesiae. Hinc dist. Conseq. ergo natura religionis generica non exigit per se & directe N. per accidens subinde & indirecte C.

Hinc verum non est, quemlibet Patremfamilias (excepto statu legis naturae. ex *dd.*) jus quoad sacra in suos domesticos habere, quia illud jus oritur ex altiori potestate, scilicet divina, adeoque illi solum de

facris disponere possunt, quibus id à DEO concessum est.

Quod etiam natura Religionis Christianae & Catholicae unum Caput desideret, penes quod *privatim* summa jurisdictione ecclesiastica resideat testantur sole clariora scripturae loca, in quibus unitas fidei, sacramentorum, capitis, obedientiae requiritur, sic ad *Eph. 4. v. 6.* dicitur, *Unum esse corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, una fides, unum baptisma* eod. loco. *v. 3.* admonentur fideles, *state in uno spiritu unanimes*, item *Joan. 10. v. 12.* pronuntiatur, *siet unum ovile & unus Pastor*, item *Act. 4. v. 32.* *multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Atqui ubi non est Caput sive summus Princeps Ecclesiae, sed jurisdictione & potestas summa in plures Dominos, scilicet Territoriales, dispersa, nulla fidei, Sacramentorum, capitis, obedientiae &c. unitas, sed mera schismata, scissurae, discordiae, confusiones, errores sunt, ergo natura Religionis Christianae in specie exigit unum caput, & unum summum Principem in statu Ecclesiastico, sive Ecclesia Christiana.

Alterum quod dicit Puffendorff, instructionem in fide aliis demandari posse, reservata jurisdictione penes summum Principem, verum est, si Princeps ille sit unus & Ecclesiasticus, à quo potestas & omnis doctrina petatur, & ad quem omnia, quae circa fidem & Religionem occurrunt, dubia referantur, quo

quo referendum est, quod ait S. Cyprianus, in *Tr. de unitate Eccles.* relatus in *can. loquitur 18. causa 24. quast. 1. ibi. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum, & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelli radium solis in corpore, divisionem lucis unitas non capit, ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit, à fonte præcide rivum, præcisus arescet, sic & Ecclesia domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluens largitur rivos latius pandit, unum tamen NB. caput est, & origo una & una mater, fecunditatis successibus copiosa, illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur, adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica, unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.*

Deinde nefas semper fuit regibus & principibus sacris se negotiis immiscere, veluti Ozias incensum domini volens adolere, ac propterea lepra percussus, nec non templo & populo exclusus fuit, 2. *Paralipp. 26.*

Quæres 2. An detur aliquod Caput 4
Ecclesiae visibile?

Resp. 1. Petrus fuit à Christo constitutus Caput Ecclesiae. *Matth. 18. Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, uti apud Belarm. explicant Patres græci & latini, & totum Concilium Calcedonense *Act. 3.* appellat Petrum petram & crepidinem Ecclesiae.

Objicies 1. Christus dedit etiam reliquis Apostolis immediate jurisdictionem in omnes gentes, & potestatem prædicandi & Ecclesias fundandi. Ergo solus Petrus non fuit Caput Ecclesiae.

Resp. Dist. antec. dedit potestatem ordinariam & ad successores transituram N. delegatam & cum ipsis extinguendam C. certè supremam potestatem Petrus exercuit in electione Matthiae, *Act. 1.* & primorum Diaconorum *Act. 6.* & in definitione controversiæ de legalibus, *Act. 15.* quatenus ceteros Apostolos convocavit, & in Concilio primus sententiam dixit.

Instas. Apostoli *Act. 8.* miserunt Petrum in Samariam, ergo Petrus fuit reliquis subditus & consequenter non caput Ecclesiae. Explico antec. Miserunt imperio N. consilio & suasionem quatenus rex mittitur ad bellum à suis consiliariis C. Si

Instas: Christus est petra Ecclesiae, ergo non Petrus. Dist. antec. Christus est petra principalis C. secundaria N. secundaria est Petrus.

B

Resp.

5 Resp. 2. Primatus Petri non fuit cum Petro extinctus, sed hodie dum datur.

Ratio 1. ita definit concilium Constantiense *sess. 8. 15. & 27.* & consentiunt Patres apud Bellarminum & Suarez.

Ratio 2. Christus constituit Petrum caput, petram, Pastorem Ecclesie perpetuo duraturæ, ergo dedit ei potestatem ordinariam in ejus successoribus continuandam, alias Ecclesia non esset perpetuo fundata in petra, sed portæ inferi prævalerent adversus eam.

3. Potestas Pastoris universalis non fuit collata Petro propter ipsum, sed propter oves non solum tunc existentes, sed etiam futuras usque ad consumationem sæculi, quæ æque indigent pastore, ac illæ olim, has vero Petrus pascere non potest per se, sed per successores. Ergo

Quæres 3. *An Episcopus Romanus sit Petri successor in Primatu Dignitatis?*

Nota 1. Summus Pontifex sic dicitur est à præcipua potestate faciendi vel sacrificandi, quia verbum facere tam apud Ethnicos, quam Christianos sæpe pro *sacrificare* usurpatum est, D. Lorichius in *thes. novo theol. list. P. V. Papa. n. 2.*

6 Nota 2. Summus Pontifex alio nomine appellatur *Papa*, quod à Græco deductum, patrem significat, & quamvis idem nomen ab initio commune fuerit omnibus Presbyteris, postea tamen solis E-

piscopis tributum, ac tandem per excellentiam soli summo Ecclesie Principi & universali Patri tributum est. Lorichius *l. c. n. 2.* Titulum *Pontificis maximi*, ait Vitriarius *jur. publ. lib. 1. tit. 4. n. 1.* sibi olim assumpsisse Imperatores, ubi refert hunc Titulum, *Pontifex Maximus, Dominus Consul Flavius*, & addit rationem sub *lit. A.* quod majorum fuerit consuetudo, summum judicem seu Regem, simul Sacerdotem atque Pontificem esse, ac quod propterea domus, in qua Pontifex habitabat, regia fuerit vocata, & pergit, si primordia Reipublicæ Romanæ consideremus, *Numam Pompilius*, licet Rex fuerit, sacrificiis *flamini Diali* commissis esse defunctum, testem vocat *Liv. lib. 1.* imo eundem titulum à *Cajo Julio Cesare* atque *Augusto* fuisse usurpatos, hunc vero titulum desisse in *Gratiano* Imperatore, qui primus stolam Pontificalem deposuit, dicendo, talia laico non competere, sed soli Papæ. Hunc titulum pariter fuisse questum à Maximiliano I. emptis jamjam plurimorum Cardinalium capitibus, eo atrâ morte sublato; refert idem author *loc. cit.* nummum æneum, ex cujus altera parte hæc legitur inscriptio;

Imp. Caf. Vesp. P. M. Tr. P. PP. Cos.
item inscriptionem Romæ Ponti à Trajano impositam. *Aug. Germ. Pont. max.*

Providentia Augusti vere Pontificis, virtus Romana quid non domet sub jugum; Ecce rapitur & Danubius.

Item

Item Romæ in pede obelisci ab Augusto in Campo Martio erecti apparere sequentia.

Cæsar Divi J. F. Augustus Pontifex Maximus, Imper. XII. Cos. XI. Trib. pot. XIV. Ægypto in potestatem populi Romani redacta, soli donum dedit.

Item Inscriptionem Patavinam hanc legi: *Dn. Imp. Constantino Man. P. E. Victori Aug. Pont. Max. Tri. P. XXIII.*

Item in veteri monumento:

Dn. Cæsar Justin. Pius, Felix, Victor, Triumphator, semper Aug. Pont. Max. Franc. Max.

Verum quod refert Vitriarius de gentilibus Imperatoribus, qui titulo summi Pontificis abutebantur, id exinde factum, tum quia gentiliū insanus fastus, & superbia quævis obvia sibi attribuit, prout apud authores alii & plures miri leguntur tituli, ubi se fratres solis & lunæ dixerunt, gentiles igitur Imperatores ex eo vocarunt se summos Pontifices, ut insinuarent se summe esse deditos sacrificiis, & idem significat ac maximos Sacrificatores, quod verò cit. author dicit Gratianum Imperatorem hunc titulum Pontificis & stolam Pontificialem deposuisse, nugæ sunt, majus vero somnium est, quod refert de Maximiliano I.

7 Resp. Aff. Episcopus Romanus est verus Petri successor, in Primatu.

Ratio 1. ex modo dictis, datur aliquis Petri successor in Primatu: non alius, quam Romanus Episcopus, nam Antiochenus non est,

cum Petrus Sedem Antiochenam deferens, Primatum secum Romam transtulerit, ibi mortuus. Unde Antiochenus sibi Primatum nunquam usurpavit, imo in secunda Synodo Nycæna tertius tantum locus ei inter Patriarchas concessus est, scilicet post Romanum & Alexandrinum, alius, cui competat Primatus Ecclesiæ, multo minus est assignabilis, ergo Romanus Episcopus est Petri successor.

Ratio 2. Concilium Nycænum primum c. 6. ait: Romana Ecclesia semper habuit Primatum. Idem Concil. can. 39. ait: *Qui tenet Sedem Romæ, Caput est & princeps omnium patriarcharum.* S. Aug. Epist. 162. ait: *In Romana Ecclesia semper Apostolica Cathedra viguit principatus;* In Synodo Florentina anno 1439. ita habetur: *Definimus sanctam Apostolicam sedem & NB. Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem NB. Romanum, successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi Viscarium, totiusque Ecclesiæ NB. caput.*

Ratio 3. Quia Imperatores semper in Episcopo Romano agnoverunt Primatum Ecclesiæ, ut colligitur ex novell. 131. cap. 2. ibi: *ideoque sancimus secundum earum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum.* Et ante mille annos id referunt Pontifices Concilii Chalcedonensis & Synodi septimæ, ergo Ecclesia Romana bene exercet munus universalis Pastoris in totam Ecclesiam,

B 2

passim

passim instituendo Episcopos in toto orbe, confirmando, Sedi suæ restituendo, omnesque graviores causas judicando.

Ratio 4. desumitur ex continua Romanorum Pontificum successione & ferie, quæ est sequens.

S. Petrus, origine Judæus, ex Bethsaida Galilææ, rexit annis 25. obiit Martyr die 29. Junii Aô Christi 69.

S. Linus, Hetruscus, rexit annis 11. Mens. 2. dieb. 23. fit Martyr anno Christi 80.

S. Cletus, Romanus, rexit annis 12. mens. 7. diebus 2. fit Martyr anno 95.

S. Clemens I. Romanus, rexit annis 9. mens. 6. d. 6. fit Martyr 102.

S. Anacletus, Græcus, Atheniensis, rexit annis 9. mens. 3. fit Martyr anno 112.

S. Evaristus, Syrus Bethlehemita, rexit annis 9. mens. 10. fit Martyr anno 121.

S. Alexander I. Romanus, rexit annis 10. mens. 5. dieb. 20. fit Martyr anno 132.

S. Sixtus I. Romanus, rexit annis 10. fit Martyr 142.

S. Telesphorus, Græcus Anachoreta, rexit annis 12. fit Martyr anno 158.

S. Hyginus Atheniensis ex Græcia, rexit annis 4. fit Martyr an. 153.

S. Pius I. Aquilegiensis Italus, rexit annis 9. mens. 6. fit Martyr anno 161.

S. Anicetus, Syrus, rexit annis fere 9. fit Martyr anno anno 175.

S. Soter, Italus Campanus, rexit annis 4. fit Martyr anno 179.

S. Eleutherius, Nicopolitanus Græcus, rexit annis 15. fit Martyr anno 194.

S. Victor I. Afer. rexit annis 9. fit Martyr anno 703.

S. Zephirinus, Romanus, rexit annis 18. fit Martyr anno 221.

S. Calixtus I. Romanus, rexit annis 5. Martyrio coronatus an. 226.

S. Urbanus I. Romanus, rexit annis 6. mens. 7. fit Martyr an. 233.

S. Pontianus, Romanus sedit annis 4. mens. 4. fit Martyr anno 237.

S. Antherus, Græcus, rexit mense uno, fit Martyr anno 238.

S. Fabianus, Romanus, rexit annis 15. fit Martyr anno 253.

S. Cornelius, Romanus, rexit annis 2. fit Martyr anno 261.

S. Lucius I. Romanus, rexit anno 1. mens. 3. fit Martyr 257.

S. Stephanus, Romanus, rexit annis 3. fit Martyr 260.

S. Sixtus II. Atheniensis Græcus, rexit anno 1. fit martyr anno 261.

S. Dyonisius, Græcus, rexit annis 11. mens. 3. fit Martyr anno 272.

S. Felix I. Romanus, rexit annis 2. fit Martyr anno 275.

S. Eutychianus, Thuscus, rexit annis 8. fit Martyr anno 283.

S. Cajus, Dalmata, Imperatoris Diocletani ex fratre Nepos, rexit annis 12. passus est anno 296.

S. Marcellinus, Romanus, rexit annis 8. passus anno 304.

S. Marcellus, Romanus, reitx annis 5. mens. 6. passus anno 309.

S. Eu-

§. II. AN NECESSARIUM SIT CAPUT ECCLESIAE, ETC. 13

S. Eusebius, Græcus, rexit annis 2. mens. 7. passus anno 311.

S. Melchisedes, Africanus, rexit annis 7. obiit anno 313.

S. Sylvester, Romanus, rexit annis 22. obiit anno 335.

S. Marcus, Romanus, rexit mensibus 8. obiit 336.

S. Julius I. Romanus, rexit annis 15. obiit anno 352.

Liberius, Romanus, rexit annis 15. obiit anno 367.

S. Damasus, Hispanus, rexit annis 17. obiit 384.

Siricius, Romanus, rexit annis 13. obiit anno 398.

S. Anastasius I. Romanus, rexit annis 4. obiit 402.

S. Innocentius I. Albanus Italus, rexit annis 15. obiit anno 417.

S. Zosimus, Græcus, rexit anno 1. obiit anno 418.

S. Bonifacius I. Romanus, rexit annis 5. obiit anno 423.

S. Cælestinus I. Romanus, rexit annis 9. obiit anno 432.

S. Leo, Toscanus, rexit annis 21. obiit anno 461.

S. Hilarius, ex Sardinia, rexit annis 7. obiit anno 467.

S. Simplicius, Tiburtinus, rexit annis 19. obiit anno 483.

S. Felix II Romanus, ex familia Aniciorum, rexit annis 9. obiit a. 492.

S. Gelasius, Afer, rexit annis 5. obiit anno 496.

Anastasius II. Romanus, rexit annis 2. obiit anno 498.

S. Symachus, ex Sardinia, rexit annis 15. obiit anno 514.

S. Hormisda, Campanus, rexit annis 9. obiit anno 523.

S. Joannes I. Toscanus, rexit annis 3. fit Martyr. 526.

S. Felix III. Italus, rexit annis 4. obiit anno 530.

S. Bonifacius II. Romanus, rexit anno 1. obiit anno 531.

Joannes II. Romanus, rexit annis 4. obiit anno 535.

S. Agapetus I. Romanus, rexit annis fere 2. obiit Constantinopoli anno 536.

S. Sylverius, Italus, rexit annis 3. fit Martyr anno 540.

S. Virgilius, nobilissimus Romanus, rexit annis 16. obiit in Sicilia anno 555.

Pelagius I. Romanus, rexit annis 5. obiit anno 559.

S. Joannes III nobilissimus Romanus, rexit Ecclesiam annis 11. obiit anno 572.

S. Benedictus I. Romanus, rexit annis 4. obiit anno 577.

S. Pelagius II. Romanus, rexit annis 12. obiit anno 590.

S. Gregorius I. cognomento Magnus, nobilissimus Romanus, rexit annis 13. obiit 604.

Sabinianus, Tuscus, rexit Ecclesiam mensibus 5. obiit anno 606.

S. Bonifacius III. Romanus, rexit 9. mensibus, obiit anno 606.

S. Bonifacius IV. Vaseriensis Italus, rexit annis 6. obiit anno 614.

S. Deusdedit, Romanus, rexit annis 3. obiit anno 611.

S. Bonifacius V. Neapolitanus, rexit annis 8. obiit anno 625.

B 3

Honorius

Honorius I. Campanus Italus, rexit annis 12. obiit anno 638.

Severinus Romanus rexit anno fere uno, obiit anno 639.

Joannes IV. Dalmata, rexit annis fere 2. obiit anno 641.

Theodorus I. Hierosolymitanus, rexit annis 7. obiit anno 649.

S. Martinus I. Tudertinus Italus rexit annis 5. fit Martyr anno 654.

S. Eugenius I. Romanus, rexit mensibus 6. obiit anno 655.

S. Vitalinus, Campanus Italus, rexit annis 14. obiit anno 669.

Adeodatus, Romanus, Ord. S. Bened. rexit annis 7. obiit anno 676.

Domnus, Romanus, rexit anno 1. mens. 5. obiit anno 678.

S. Agatho, Siculus, Ord. S. Bened. rexit annis fere 5. obiit anno 682.

S. Leo, Siculus, rexit mens. 10. obiit anno 684.

S. Benedictus II. Romanus, rexit Ecclesiam mensibus 8. obiit anno 685.

Joannes V. Syrus, rexit anno 1. obiit anno 688.

Cuno seu Canon ex Thracia, rexit mensibus 11. & diebus 23. obiit anno 687.

S. Sergius I. Antiochenus, rexit Ecclesiam annis 14. obiit anno 701.

Joannes VI. Græcus, rexit annis 3. obiit anno 705.

Joannes VII. Græcus, rexit annis 2. mens. 7. obiit anno 707.

Sifinius Antiochenus, rexit diebus 20.

Constantinus, Syrus, rexit annis 6. obiit anno 714.

S. Gregorius II. Romanus, rexit annis 17. obiit 731.

S. Gregorius III. Syrus, rexit annis 11. obiit anno 741.

S. Zacharias, Græcus, rexit annis 10. obiit anno 752.

Stepanus II, Romanus, rexit diebus 4.

Stephanus III. Romanus, rexit annis 5. obiit anno 757.

S. Paulus I. Romanus, rexit annis 10. obiit anno 767.

Stephanus IV. rexit annis 3. mens. 5. obiit anno 772.

Hadrianus I. nobilissimus Romanus rexit annis 23. mens. 10. obiit anno 795.

S. Leo III. Romanus, rexit annis 20. mens. 5. obiit anno 816. author Imperii ad Germanos translati.

Stephanus V. Romanus, rexit mens. 7. obiit anno 817.

S. Paschalis I. Romanus, rexit annis 7. obiit anno 824.

Eugenius II. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 827.

Valentinus, Romanus, rexit mens. 1. diebus 10. obiit anno 827.

Gregorius IV. Romanus, rexit annis 16. obiit 843.

Sergius II. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 847.

S. Leo IV. Romanus, rexit annis 8. obiit anno 855.

Benedictus III. Romanus rexit annis 2. mensibus 6. obiit anno 858.

Nicolaus I. Romanus rexit annis 9. mens. 6. obiit anno 867.

Hadrianus II. Romanus, rexit annis 4. mensibus 10. obiit anno 872.

Joannes

Joannes VIII. Romanus, rexit annis 10. obiit anno 882.

Marinus alias Martinus II. Hertrufcus, rexit anno 1. obiit anno 884.

Hadrianus III. Romanus rexit anno 1. mens. 3. obiit anno 885.

Stephanus III. Romanus, rexit annis 6. obiit anno 891.

Formosus, Romanus, rexit annis fere 6. obiit anno 896.

Bonifacius VI. Romanus, rexit diebus 15. obiit exul.

Stephanus VII. Romanus, rexit annis 4. obiit anno 900.

Romanus, Toscanus, rexit mensibus 4. obiit anno 901.

Theodorus II. Romanus, rexit diebus 20. obiit anno 901.

Joannes IX. Tiburtinus Italus, rexit annis tribus, obiit anno 905.

Benedictus IV. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 907.

Leo V. Ardeatinus Italus, rexit diebus 40. obiit anno 907.

Christophorus Romanus, rexit mensibus 7. obiit anno 908.

Sergius III. Romanus, Comes Tusculanus, rexit annis 3. obiit an. 910.

Anastasius III. Romanus, rexit annis 2. obiit anno 912.

Lando, Sabinus Italus, rexit mensibus 6. obiit anno 912.

Joannes X. Romanus, rexit annis 16. obiit anno 928.

Leo VI. Romanus, rexit mensibus 6. obiit anno 929.

Stephanus VIII. Romanus, rexit anno 1. obiit anno 931.

Joannes XI. Romanus, rexit annis 5. mens. 10, obiit anno 936.

Leo VII. Romanus, rexit annis 3. mensibus 6. obiit anno 939.

Stephanus XI. Germanus, rexit annis 3. obiit anno 942.

Marinus alias Martinus II. Romanus, rexit annis 3. mensibus 6, obiit anno 946.

Agapetus II. Romanus, rexit annis 10. obiit anno 955.

Joannes XII. Romanus, rexit annis 9. obiit 964.

Benedictus V. rexit anno uno, mensē 1. obiit anno 965.

Leo VIII. Romanus, rexit anno fere 1. obiit anno 965.

Joannes XIII. Romanus, rexit annis 7. obiit anno 972.

Domnus II. Romanus, rexit mens. 3. obiit anno 972.

Benedictus VI. Romanus, rexit anno 1. mens. 6. obiit anno 974.

Benedictus VII. Romanus, rexit annis 9. obiit anno 984.

Joannes XIV. Papiensis, rexit anno 1. obiit anno 985.

Joannes XV. rexit annis 10. obiit anno 996.

Gregorius V. ex Ducibus Suevia, rexit annis fere 3. obiit anno 999.

Sylvester II. Aquitanus, rexit annis 4. obiit 1003.

Joannes XVI. Romanus, rexit mensibus 5. obiit anno 1003.

Joannes XVII. Romanus, rexit annis 5. obiit 1009.

Sergius IV. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 1012.

Benedictus VIII. Italus, rexit annis 12. obiit anno 1024.

Joannes

Joannes XVIII. Romanus, rexit annis fere 10. obiit anno 1033.

Benedictus IX. Romanus, rexit annis 11. obiit anno 1045.

Gregorius VI. Romanus, rexit anno 1. resignavit anno 1046.

Clemens II. Saxo, rexit mensibus 6. obiit anno 1047. sepultus Bambergæ.

Damasus II. Bavarus, rexit diebus 23. obiit anno 1048.

S. Leo IX. Germanus, Comes de Daxberg, rexit annis 5. mens. 2. obiit anno 1054.

Victor II. Suevus, Comes de Calb rexit annis 2. mensibus. 3. obiit anno 1057.

Stephanus X. Dux Lotharingæ, rexit mensibus 8. obiit anno 1058.

Nicolaus II. Sabaudus, rexit annis 2. obiit anno 1061.

Alexander II. Milanus, rexit annis 11. mens. 6. obiit anno 1073.

Gregorius VII. Florentinus, rexit annis 12. obiit anno 1085.

Victor III. ex Ducibus Beneventanis, Ord. S. Benedicti, antea Abbas in monte Cassino, rexit electus anno 1. mens. 6. ut coronatus vero mens. 5. obiit anno 1087.

Urbanus II. Gallus, rexit annis fere 12. obiit anno 1099.

Paschalis II. Italus, Ord. S. Bened. rexit annis 18. mens. 6. obiit anno 1118.

Gelasius II. Ord. S. Bened. ex monte Cassino, Italus, rexit anno 1. obiit 1119.

Calistus II. Dux Burgundiæ, rexit annis 6. obiit anno 1124.

Honorius II. Italus, rexit annis 5. obiit anno 1130.

Innocentius II. Romanus, rexit annis 14. obiit anno 1143.

Cælestinus II. Italus rexit mens. 5. obiit anno 1144.

Lucius II. Bononiensis, rexit mens. 11. obiit anno 1145.

Eugenius III. Italus, Ord. Cisterciensis, rexit annis 8. obiit anno 1153.

Anastasius IV. Romanus, rexit anno 1. obiit anno 1154.

Hadrianus IV. Anglus, rexit annis 5. obiit anno 1155.

Alexander II. Italus, rexit annis fere 21. obiit anno 1181.

Lucius III. Hetruscus, rexit annis 4. obiit anno 1185.

Urbanus III. Milanus, rexit anno 1. mens. 10. obiit anno 1187.

Clemens III. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 1191.

Cælestinus III. Romanus, rexit annis 7. obiit anno 1198.

Innocentius III. Italus, ex Comitibus de Signia, rexit annis 18. mens. 6. obiit anno 1216.

Honorius III. Romanus, rexit annis 10. mens. 7. obiit anno 1227.

Gregorius IX. Agnaninus, ex Comitibus de Signia, author 5. librorum Decretalium, rexit annis 14. obiit anno 1241.

Cælestinus IV. Milanus, rexit diebus 18. obiit anno 1241.

Innocentius IV. Genuensis, ex Comitibus de Lavania dictis Flifci, rexit annis fere 12. obiit anno 1254.

Alexander IV. Italus, ex Comitibus de Signia, rexit annis 7. obiit an. 1261.

Urbanus

§. II. AN NECESSARIUM SIT CAPUT ECCLESIAE, ETC. 17

Urbanus IV. Campanus, rexit annis 3. obiit anno 1264.
 Clemens IV. Narbonensis Gallus, rexit annis 4. obiit anno 1268.
 Gregorius X. Placentinus Italus, rexit annis 4. obiit anno 1276.
 Innocentius V. Tarentasius Burgundus, rexit mens. 6.
 Hadrianus V. Genuensis, rexit mensē uno, obiit anno 1276.
 Joannes XIX. aliis XX. Lusitanus, rexit mens. 8. obiit anno 1277.
 Nicolaus III. Romanus, ex Principibus Urfinis, rexit annis 3. mens. 8. obiit 1280.
 Martinus IV. Gallus, rexit annis 4. obiit anno 1285.
 Honorius IV. Nobilissimus Romanus, ex stirpe Sabellorum, rexit annis 2. obiit anno 1287.
 Nicolaus IV. Italus, rexit annis 4. obiit anno 1292.
 S. Cœlestinus V. Italus, Ord. S. Bened. rexit mens. 5. resignavit devotissimus anno 1294.
 Bonifacius VIII. Agnaninus, author libri sexti Decretalium, rexit annis 8. mens. 9. obiit anno 1303.
 Benedictus X. aliis XI. Tarvisinus Italus, rexit mens. 8. obiit an. 1304.
 Clemens V. Burdigalensis Gallus, rexit annis 8. mens. 10. obiit an. 1314.
 Joannes XXII. legitimus tamen Pontifex hujus nominis solummodo XXI. Cadurcensis Gallus, rexit annis 19. obiit anno 1334.
 Benedictus XI. aliis XII. Gallus, rexit annis 7. obiit anno 1342.
 Clemens VI. Lemovicensis Gallus, Ord. S. Bened. rexit. 2. 10. obiit. a. 1352.

Innocentius VI. Lemovicensis, Gallus, rexit annis fere 10. obiit anno 1362.
 Urbanus V. Mismatensis Gallus, Ord. S. Benedicti, rexit annis 6. obiit anno 1370.
 Gregorius XI. Lemovicensis, rexit annis 7. obiit anno 1378.
 Urbanus VI. Neapolitanus, rexit annis II. obiit anno 1389.
 Bonifacius IX. Neapolitanus, rexit annis 15. obiit anno 1404.
 Innocentius VII. Sulmonensis, rexit annis 2. obiit anno 1406.
 Gregorius XII. Venetus nobilissimus, rexit annis 2. obiit anno 1410.
 Alexander V. Cretenensis rexit mensibus 10. obiit anno 1410.
 Joannes XXIII. verè tamen ex legitimis Pontificibus, solum XXII. & apud Bussieres in flosculis historiarum, chronologia Pontificum, Pontifex XXII. rexit annis 5. resignavit anno 1415. obiit an. 1419.
 Martinus V. ex Principibus de Columnâ, Romanus, rexit annis 14. obiit anno 1431.
 Eugenius IV. Venetus, rexit annis 16. obiit anno 1447.
 Nicolaus V. Italus, rexit annis 8. obiit anno 1455.
 Calixtus III. Valentinus, rexit annis 3. mens. 4. obiit anno 1458.
 Pius II. Italus Sinensis, rexit annis 6. obiit anno 1464.
 Paulus II. Nobilissimus Venetus, de Barbi, rexit annis 7. obiit anno 1471.
 Sixtus IV. Savonenfis Italus, rexit annis 13. obiit anno 1484.

C Inno-

Innocentius VIII. Genuensis, rexit annis 8. obiit anno 1492.

Alexander VI. Valentinus, rexit annis 11. obiit anno 1503.

Pius III. Senensis, rexit diebus 26. obiit anno 1503.

Julius II. Savonensis Italus, rexit annis 9. obiit anno 1513.

Leo X. Florentinus, rexit annis 3. mens. 8. obiit anno 1521.

Adrianus VI. Ultrajectensis Germanus, rexit anno 1. mens. 8. obiit anno 1523.

Clemens VII. Italus, ex gente Principum de Medices, rexit annis 10. mensibus 10. obiit anno 1534.

Paulus III. Italus, ex stirpe Farnesiorum Principum, rexit annis 15. obiit anno 1549.

Julius III. Italus, rexit annis 5. obiit anno 1555.

Marcellus II. Politianus Italus, rexit diebus 22.

Paulus IV. Italus, ex Comitibus modo Principibus de Caraffa, rexit annis 4. mens. 2. diebus 27. obiit anno 1559.

Pius IV. Italus, ex nobilissima Familia Medicæ, rexit annis 5. obiit anno 1565.

S. Pius V. Italus, rexit annis 6. obiit anno 1572.

Gregorius XIII. Bononiensis Italus, rexit annis 12. mens. 10. obiit anno 1535.

Sixtus V. Italus, rexit annis 5. obiit anno 1590.

Urbanus VII. Romanus, rexit diebus 12. obiit anno 1590.

Gregorius XIV. Milanus ex Co-

mitibus Sfondrati, rexit mens. 10. dieb. 10. obiit anno 1591.

Innocentius IX. Bononiensis, rexit mens. 2. obiit anno 1591.

Clemens VIII. Florentinus, rexit annis 13. obiit 1605.

Leo XI Italus, ex Principibus Medicæ, rexit dieb. 27. obiit 1605.

Paulus V. Romanus, ex gente Burghesiorum, Patritiorum Genuensium, rexit an. 15. mens. 8. obiit 1621.

Gregorius XV. Bononiensis, rexit annis 2. mens. 5. obiit anno 1623.

Urbanus VIII. Florentinus, ex gente Barberinorum, rexit annis 21. obiit anno 1644.

Innocentius X. Pamph. rexit annis 10. mens. 3. obiit anno 1655.

Alexander VII. Senensis, rexit annis 12. mens. 1. obiit an. 1667.

Clemens IX. Pistoriensis, rexit annis 6. mens. 1. obiit anno 1676.

Clemens X. Romanus nobilissimus d' Altieri, rexit annis 6. mens. 1. obiit anno 1676.

Innocentius XI Comanus, nobilissimus Odeschalchi, rexit annis 12. mens. 11. obiit anno 1689.

Alexander VIII. Venetus ex gente nobilium d' Ottoboni, rexit anno 1. mens. 3. obiit anno 1691.

Innocentius XII. Neapolitanus, ex nobili gente Minerbina, de domo Pignatelli, rexit annis 9. mens. 2. obiit anno 1700.

Clemens XI ex illustrissima familia Albanorum, Ecclesiæ Romanæ summus Princeps hucusque gloriosissime regnans ab anno 1700. Cujus inter tot Ecclesiæ tempestates,

Europæ

Europæ Scissuras, Magnatum discordias, anxia regendi sollicitudo & prudentia felicitetur ab astris, & cujus memoria in benedictione erit.

Objicies ex hac serie Pontificum Romanorum non probatur constans eorum successio, ergo nec probatur, quod Episcopus Romanus sit caput Ecclesiæ. N. antec. prob. in hac serie Pontificum sæpius plures fuerunt, qui dignitatem Pontificiam sibi simul asseruerunt, & quilibet eorum se jactabat Pontificem ergo ex hac serie nihil certi probari potest. Antecedens constat ex a. 955. usque ad 965. ubi Joannes XII. & Leo VIII. simul erant Pontifices, item mortuo Joanne Benedictus V. & idem Leo VIII. solum Pontificium simul prætendebant; Vide Bellarm. de R. P. lib. 2. c. 29. item anno 1409. tempore Gregorii XII. simul duo alii Pontifices adhuc fuerunt, quorum quilibet suis nitebatur Assæclis, nimirum Alexander V. in concilio Pisano contra Gregorium electus & tertio Benedictus XIII. qui in Gallia morabatur, & contra duos priores successionem Petri prætendebat; item Joannes X. per auxilium suæ concubinæ ad Papatum est promotus, an vero taliter electus sit legitimus Petri successor? vide *Romam gloriosam* P. Christoph. Ott. fol. 259.

Quoad 1. partem objectionis de simultaneâ plurium pseudo Pontificum usurpatione, Resp. Tali casu semper unum tantum fuisse legitimum, & eum quidem, qui ab u-

niversaliori Ecclesia fuit acceptatus & agnitus talis. Sic erat legitimus Petri successor Joannes XII. quia agnitus ab universaliori Ecclesia, sed Leo VIII. quamvis ab Imperatore Ottone habitus & agnitus Pontifex, attamen nondum erat talis, quousque universalis Ecclesiæ consensus accederet, hinc Joannes XII. propter scandalosam vivendi rationem, ut ait author *Romæ gloriose* fol. 264. depositus fuit, Joanni vero immediate successerat Benedictus V. quo etiam resignante postea Leo VIII. ab Ecclesia fuit acceptatus, ut verus Pontifex, adeoque neque duo Pontifices eo tempore fuerunt, neque dubium est, quis fuerit legitimus Pontifex, nimirum ille, quem universalior Ecclesia agnovit, quæ Ecclesia nunquam duos agnovit.

2. Gregorius XII. erat legitimus Pontifex, quousque ab Ecclesia talis agnitus, nimirum usque ad Electionem Alexandri V. e contra Petrus de Luna, qui se appellabat Benedictum XIII. nunquam verus erat Pontifex, nec unquam ab Ecclesia agnitus; sic licet vivente Gregorio XII. Electus fuerit Joannes XXIII. solus tamen Joannes erat legitimus, usque dum ille in Concilio Constantiensi resignaverit, eique surrogatus fuerit Martinus V. in eodem Concilio. Quoad secundam partem objectionis, quod Joannes X. per auxilium suæ Concubinæ fuerit ad solium Pontificium promotus, Resp. The-

dora apud Marchiones Toscanos intercessit, ut præfati Marchiones Joanni auxilium præberent, quibus mediantibus Joannes eligeretur, cum ergo Joannes postea fuerit electus, & insuper ab Ecclesiâ acceptatus, (quæ acceptatio est secunda electio Ecclesiæ) fuit proinde legitimus Pontifex; An vero perversus & scandalosus Pontifex sit legitimus, infra discutietur de *Infalibilitate Pontificis*.

Objicies 2. Alii Episcopi non sunt solum Vicarii Episcopi Romani, ergo Episcopus Romanus non est Episcopus universalis Ecclesiæ.

Resp. Dist. consequ. non est Episcopus universalis hoc sensu, quod Episcopus Romanus non habeat potestatem supremam in omnes N. hoc sensu, quod non sit solus & proprius omnium Ecclesiarum Episcopus ordinarius C.

Objicies 3. cum Puffendorff *Introduit. ad Histor. de Monarch. Roman.* qui ait: Post obitum Christi & Apostolorum excessum Regimen Ecclesiasticum, quod apud primitivos Christianos viguit, non jure proprio, sed provisorio quodam modo, à Clero & populo fuisse usurpatum, eo quod Imperatores, quorum propria fuisset Ecclesiæ gubernatio, nolentes Christianorum sacris accedere, eam gubernationem neglexerint, & quasi abjecerint. Deinde ex conniventia Constantini Magni & reliquorum Imperatorum ad vexilla Christi jurantium remansisse quandam circa

sacra potestatem penes Clericos, per hoc tamen supremam Legum & Conciliorum Ecclesiasticorum prærogativam, quæ fuit ex Majestate Imperatoria, Imperatori adimi non posse; Adhæc barbariem primorum sæculorum & veræ politiæ ignorantiam effecisse, ut Pontifex Romanus pro universali Episcopo agnitus & leges ipsius velut universales receptæ sint; Præterea primatum super reliquos Episcopos Bonifacium III. sibi primitus arrogasse, ad stipulante Phoca Imperatore, qui Constantinopolitano Episcopo, quod eadem Maurittii comprobare detrectaret, vehementer indignatus, eundem antehac de primatu certantem Romano Episcopo postposuit; Denique variis astibus & artibus successorum Pontificum summum Imperium pedetentim in univrsum orbem stabilitum; inde tamen auctoritati Principum sæcularium eo minus derogatum fuisse, quo minus in abdicationem Regiæ suæ potestatis consenserunt.

Resp. 1. falsum esse, quod post Christum & Apostolos Regimen Ecclesiasticum expiraverit. 2. Falsum esse, quod potestas ecclesiastica unquam fuerit penes Principes sæculares. 3. Falsum esse, Bonifacium Tertium primò usurpasse primatum supra reliquos Episcopos, ut constat; ex Synodo Romana anno 324. *cap. ult. ibi: Romanum Pontificem omnium mortalium judicem,* ex Synodo 1. Constantinop. an. 381. *ubi*

ubi PP. tribuunt Damaso Pontifici competere potestatem *examinandi, confirmandi conclusa consiliaria*; Ex Synodo Chalcedonenfi año 451. ubi Pontifex *Pater, Caput, Director, Juxta* *index universalis Ecclesia* salutatur, quæ concilia longe antecesserunt Bonifacium III. qui obiit anno 666. & rexit solùm 9. mensibus.

9. *Quæres 4to. An Primatus Episcopatus Romano sit annexus ex Institutione Christi?*

Resp. Affirmative, ac proinde non est annexus primatus ex eo præcise, quod Petrus sua voluntate sedem suam Romæ fixerit usque ad mortem, nec est in potestate Ecclesiæ hunc primatum cuius Episcopatus annectere, vel ab omni separare.

Ratio. Marcellus ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ scribit: *Petri sedem jubente Domino Romam translatam esse.* quâ autoritate S. Igna-

tius Martyr Regem Abussæ Ecclesiæ Romanæ conatus est adjungere. Anacletus Epist. 3. *ad omnes Episcopos* ait: *Romanam Ecclesiam non ab Apostolis sed ab ipso Salvatore primatum obtinuisse.* Nicolaus I. Epist. *ad Michaelem Imperatorem*, ista, inquit, *Privilegia Ecclesia Romana à Christo sunt donata, à synodo autem non donata, sed celebrata & honorata.* Lateranense cap. *damnamus*, ait: *Romana Ecclesia Domino disponente est cunctorum fidelium Mater & Magistra.*

Objicies. Nequit dici, quando Christus voluntatem suam de conjunctione primatus cum Episcopatu Romano manifestaverit, ergo non conjunxit ita. Resp. N. antec. probabiliter ex Suarez diu post ascensionem, non antea saltem explicitè manifestavit. Sed T. antec. N. conseq. nescitur etiam origo plurium aliorum Jurium & substantia tamen scitur certo.

§. III.

AN CAPUT ECCLESIE EPISCOPUS ROMANUS SIT SUPRA CONCILIUM?

SUMMARIA.

1. *Quid sit Concilium, & quotuplex?*
 2. *Concilium generale quid requirat?*
 3. *Quando caperint Concilia?* 4. *An Concilium sit infallibile sine Pontifice?*
 5. *Solvuntur objectiones.* 6. *An Concilium saltem cum Pontifice sit infallibile?* 7. *Recensentur Concilia generalia.* 8. *An Pontifex sit supra*

Concilium? 9. *Solvuntur objectiones.*
 10. *A Pontifice nequit appellari ad Concilium generale.* 11. *Recensentur casus excepti, quibus Concilium cognoscit super causa Pontificis.* 12. *Cujus nomine & autoritate edantur decreta Conciliorum?* 13. *Summus Pontifex nec sponte se Concilio subji-*

cere potest. 14. *Solvuntur objectiones.* 15. *A Concilio generali recte appellatur ad summum Pontificem.* 16. *An Pontifex sine Concilio sit infallibilis in doctrina morum?* 17. *An in Decisionibus & materia fidei?* 18. *Ponuntur objectiones.* 19. *Recen-*

sentur quidam Pontifices scandalosi. 20. *An Pontifex ut Doctor privatus errare queat?* 21. *An & quando in questionibus facti particularis?* 22. *Quando Pontifex dicatur loqui ex Cathedra?*

I Nota 1. Concilium est Congregatio Prælatorum Ecclesiæ ad ea, quæ ad fidem vel mores spectant, decidenda. Nam Concilia sunt Comitæ Ecclesiastica. Et dividitur 1. in generale seu œcumenicum, ad quod convocantur omnes (moraliter saltem) Episcopi totius orbis, nullo per se excluso, præfidente summo Pontifice, vel per se, vel per suos Legatos. 2. Nationale, ad quod conveniunt Episcopi unius Regni, vel nationis præfidente primæ Patriarcha. 3. Provinciale, ad quod Episcopi unius provinciæ conveniunt, præfidente Metropolitanæ sive Archi-Episcopo, quæ duo posteriora improprie vocantur generalia. 4. Diocesana, ad quod presbyteri unius dioceseos conveniunt, præfidente Episcopo; juxta Bellarminum vix meretur nomen Concilii, quia soli Episcopi jure ordinario habent jus decidendi, Theologi velut Advocati veritatis habent suffragium tantum consultivum; quibusdam tamen Abbatibus ex privilegio conceditur decisivum; ideoque hi cum Episcopis signant ita: Episcopus definiens subscripsi, reliqui verò: Consentiens subscripsi.

Nota 2. Concilium œcumenicum seu generale desiderat 1. mandatam seu approbationem Pontificis. 2. illius vel Legati præsentiam, 3. Convocationem omnium Episcoporum. Sfondrati *Regal. sacerdot. lib. 2. §. 1.*

Nota 3. Non tantum in Ecclesiâ Romana ab ipsis Apostolorum temporibus ad nostra usque sæcula, sed etiam in Ecclesia Hebraica, quin & in ritibus gentium de rebus majoris momenti fidem ac salutem concernentibus, conventus generales fuisse institutos, quemadmodum docet ac probat idem author *d. lib. 2. §. 2.*

Nota 4. Quæstio hæc: *An Pontificia potestas supra Concilium se extendat?* Exordium sumpsit cum schismatibus post mortem Gregorii XI. quando plures simul Pontifices Cathedram Petri ambiabant. Sfondrati *d. lib. 2. §. 3.* Sententia tamen negativa post concilium Constantiense vix à quoquam Catholicorum fuit defensa, donec Parisienses Politici in scholas totius Galliæ ante annos non multos eam intruserunt. Sententia autem affirmativa est antiquissima & in Concilio Tridentino ex decem partibus Patrum à novem affer-

asserta, ut narrat Palavicinus *lib. 24. c. 2. n. 12.*

Nota 5. Ab Alexandro VIII. fuit anno 1690. damnata sequens propositio: *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate.*

4 Quæres 1. *An Concilium sit infallibile sine Pontifice?* Resp. Ante sententiam & confirmationem Papæ concilium generale non est infallibile sed errare potest. Ita Bellarminus & Cajetanus & est communis contra Gallos quosdam.

Ratio 1. Talia concilia mittuntur ad Pontificem, qui potest approbare vel reprobare, ut constat ex Synodo Nycæna, quæ anno 325. inchoata, & in annum tertium duravit. ibi: *præter sententiam Romani Pontificis non debere concilia celebrari*, ex Synodo 1. Constantinop. de anno 381. agnoverunt PP. Damaso Pontifici competere potestatem *examinandi & confirmandi conclusa Conciliaria.* Ex Synodo Nycæna II. de anno 786. Patres magno numero conscripti ingenuè professi sunt: *Modum Legesque à summo Pontifice præscribi Concilio*, ergo illa concilia non sunt infallibilia sine Pontifice.

Ratio 2. Infallibilitas concilii nascitur ex conjunctione corporis cum Ecclesiæ capite, atqui ante sententiam & confirmationem Papæ nondum est talis conjunctio, nam Pontifex, qui est caput, nondum aperuit suam sententiam.

Ratio 3. Basileense concilium *Sess. 2.* una cum Legato Pontificio definiuit communi consensu, concilium esse supra Papam, quod tamen negat fanior sententia, ergo Concilium generale ante sententiam & confirmationem Pontificis non est infallibile. Sic etiam licet universale Concilium Ephesinum II. extirpandæ hæreseos gratiâ fuerit legitima auctoritate inchoatum, nihilominus Leo Papa minimè probavit ipsius Concilii definitiones, imò illas in sequenti Concilio Chalcedonensi tanquam hæreticas damnavit, ut refert Turrecremata *in Summa de Ecclesiâ lib. 2. c. 100.* sic pariter erravit Concilium Cabilonense *in c. de puellis 6. in c. placuit 11. caus. 11. q. 2.* ut notat Abbas, *in c. significasti n. 31. de Electione.* Turrecremata *in c. Anastasius in fin. dist. 19.* Cardinal. Alban. *de potestate Papæ & concilii part. 2. n. 107.* Hinc Concilium sine Pontificis auctoritate congregatum est Acephalum, ut dicit textus *in c. subnectitur dist. 21. conciliabolum c. multis dist. 17.* schismatica conventicula, & Synagoga Sathanz, ut legitur in Bulla indictionis Concilii Lateranensis sub Julio II. *in princ. tom. 4. concil. part. 2. pag. 14.* idem habetur in eodem concilio sub Leone X. *Sess. 1. eod. tom. pag. 110.*

Objicies tale concilium antequam accedat sententia Pontificis adhuc est Ecclesia, atqui Ecclesia est infallibilis, ergo tale concilium ante sententiam & approbationem ponti-

Pontificis est infallibile. Resp. Dist. Maj. adhuc est Ecclesia perfecta & completa N. imperfecta & incompleta C. atqui Ecclesia est infallibilis Dist. si sit completa C. min. incompleta & imperfecta N. Min. & conseq. imo T. major, scilicet tale concilium esse Ecclesiam, tale concilium tamen non est absolutum, priusquam sententia Papæ accedat, & consignet.

Instas. Concilia priusquam confirmantur, dicunt anathema contrarium sentientibus, ergo sunt infallibilia sine Pontifice. Dist. antec. i. Dicunt anathema statim habens vim N. modo habiturum vim dum confirmatum fuerit C. sic dum iudex à quo appellari potest, fert sententiam intelligitur talis sententia habitura vim, nisi princeps mutet sententiam. Urges: Christus dixit Apostolis & Ecclesiæ, accipite spiritum sanctum &c. *Job. 20. & Matth. ult.* ergo penes Ecclesiam est infallibilitas sine respectu ad Pontificem. Resp. N. conseq. quia ibi fuit Petrus ut papa & caput Ecclesiæ, adeoque ibi ponitur Ecclesia cum capite.

Instas. Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem *Joan. 16.* item visus est spiritui sancto & NB. nobis. *Act. 15.* item Aug. contra *Epistolam Manichæi* dicit, ego autem non crederem Evangelio, si non crederem Ecclesiæ. ergo Ecclesia etiam sine Pontifice spectata falli nequit. Resp. Hos & similes

textus intelligi de Ecclesiâ cum suo capite & de Apostolis cum Petro Apostolorum principe.

Quæres 2. An Concilium saltem 6 cum Pontifice sit infallibile?

Resp. Affirmative. Ratio si Pontifex cum concilio generali representante totam Ecclesiam errare posset, portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam, nec adesset Ecclesiæ Christus & Spiritus sanctus, usque ad consummationem sæculi, quod est contra illud *Matth. 16.* item *Matth. 25.* ubi Christus ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, vide supra §. 1.*

Ratio 2. Quod in concilio generali approbato per S. Pontificem est definitum & toti Ecclesiæ propositum, semper habitum fuit pro infallibili, uti etiam constat ex *Novella 31. cap. 1. de Ecclesiast. xii.* ubi Imperator Justinianus ita scribit:

Sancimus igitur vicem Legum obtinere sanctas Ecclesiasticas Regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt, aut firmatæ, hoc est in Nycæana trecentorum decem & octo, & Constantinopolitana sanctorum centum & quinquaginta Patrum, & in Ephefina prima, in qua Nestorius est damnatus, in Chalcedonia in qua Eutiches cum Nestorio anathematizatus est, prædictarum enim quatuor Synodorum dogma sicut sanctas NB. scripturas accipimus, & regulas sicut Leges observamus.

Porro,

Porro Concilia generalia fuerunt sequentia:

7 Concilium Hierosolymitanum sub S. Petro anno *brist* 51.

Generale primum Nicæ habitum 38. Episcoporum in quo Arius damnatus fuit. Anno Christi 325.

II. Synodus generalis, prima Constantinopolitana, contra Macedonium & alios negantes divinitatem spiritus sancti. Anno 381.

III. Synodus generalis habetur Ephesi anno 431 contra Nestorium.

IV. Synodus generalis habetur Chalcedone anno 551. Eutichetem & Dioscorum.

V. Synodus generalis Constantinopolitana II. Anno 553.

VI. Synodus generalis Constantinopolitana III contra Monothelitas, anno 680. celebratur Synodus Quini sexta, unde sunt Canones Trulliani, quam Beda merito erratam vocat.

VII. Synodus generalis Nicæna II. anno 787.

VIII. Synodus generalis Constantinopolitana IV. contra Phorium pro S. Ignatio Patriarcha anno 869.

XI. Concilium generale Lateranense I. anno 1121. sub Calixto II. Pontifice.

X. Concilium generale Lateranense II sub Innocentio II. año 1139.

XI. Concilium generale Lateranense III. sub Alexandro VI. an. 1180.

XII. Concilium generale Lateranense IV sub Innocentio III. an. 1215.

XII. Concilium generale Lugdunense I. sub Innocentio IV. in quo

deponitur Fridericus Imperator, & decernitur expeditio pro terra sancta recuperanda. Anno 1245.

XIV. Concilium generale Lugdunense sub Gregorio X. pro unione Græcorum cum Latinis. Anno 1274.

XV. Concilium generale Vienneense sub Clemente V. in quo deletus fuit Ordo Templariorum.

XVI. Concilium generale Constantiense pro schismate tollendo, in quo Gregorius XII. resignavit. Anno 1414.

XVII. Concilium generale Florentinum, sub Eugenio IV. pro unione Græcorum cum Latinis. Anno 1439.

XVIII. Concilium generale Lateranense V. inchoatum sub Julio anno 1511. finitum sub Leone 1518.

XIX. Concilium generale Tridentinum inchoatur anno 1545. concluditur sub Pio IV. anno 1563.

Quæres 3. *An Pontifex sit supra Concilium?*

Resp. Affirmative. prob. 1. ex conciliis quæ Pontificem à se judicari non posse, sed potius semet Pontifici subesse fatentur, adeoque profitentur Pontificem esse supra concilium. Id affirmat Synodus universalis sub Leone III. & Carolo magno congregata, dum ait: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est Caput omnium DEI Ecclesiarum, judicare non audemus, nam ab ipsâ nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus (non quasi novum esset commentum) mos fuit, sed sicut ipse sum-*

D

mus

mus Pontifex consuevit, jubeat, canonicè obediemus.

Synodus Romana de anno 324. c. fin. idem definivit, & ait: Romanum Pontificem omnium mortalium judicem à nemine judicari posse, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo: In Synodo Nicæna I., quæ anno 325. inchoata & in annum tertium duravit, conclusum est: præter sententiam Romani Pontificis non debere Concilia celebrari, omnesque Episcopos, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, quoties necesse fuerit, liberè ad Apostolicam Sedem appellare debere, cujus dispositioni omnes Majores Ecclesiasticas causas antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum autoritas reservavit.

In Synodo Chalcedonenfi anno 451. summus Pontifex Romanus audire meruit, quod sit sanctissimus & Beatissimus Archi Episcopus antiquæ Romæ & universalis Papa, universalis Princeps Pastorum, primæ Sedis Antistes universalis Ecclesiæ, stans supra firmam fidei petram.

In Synodo Constantinopolitana IV. de año 869. negant Legati Sedis Apostolicæ: se unquam universalis Concilii judicio subjectos fuisse.

In Synodo Florentina (aliis brevitatatis studio prætermisissis) de anno 1439. ita habetur: *Definimus Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Præmunt, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium*

Christianorum Patrem & Magistrum existere, & ipsi in B. Petro pasceudi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam fuisse.

Prob. 2. ex SS. PP. Athanasius in Epist. ad Felicem II. Papam scribit: Majores suos dogmata & ordinationes à Sede Romana accepisse, ad eamque quasi ad matrem recurrisse, ejus uberibus nutriendos, Canonibus quippe sancitum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat. Isidorus præfat. in opus concil. inquit: nec ullam Synodum legi ratam fuisse, quæ non fuerit autoritate Sedis Apostolicæ congregata vel fulta:

Prob. 3. ex Jure Canonico: ubi sapius definitum fuit, Romanum Pontificem esse supra Concilium, videlicet ab Innocentio c. *nemo judicabit*, à Symmacho, c. *aliorum*, ab Anthero in c. *facta subditorum*, à Gelasio c. *cuncta per mundum caus. 9. q. 2.* à Bonifacio Martyre in c. *si Papa*, dist. 40. à Pio II. in Constitutione quæ incipit: *in minoribus agentes edita. 6. Calendas Maji 1463.* in Bullar. tom. 1. pag. 322. c. *ad Apostolicas de sent. & re judicat. in 6. c. cuncta. 4. caus. 9. quæst. 3.*

Prob. 4. autoritate DD. tum Theologorum tum Canonistarum, inter quos est Petrus de monte, Episcopus Brixienfis, in sua Monarchia seu tractatu de potestate Pape, in Rubr. de Concilii præminentia à num. 6. vers. bis ita expeditis. Andreas Barbof,

Barbof. in *Clement. ne Romani de Elect.* ubi à n. 31. usque ad 86. pro superioritate Papæ in concilium adducit 87. argumenta. Turrecremata in *c. si Papa dist. 40.* & in *summa de Eccles. lib. 2. per tot.* Fagnanus in *c. Antigonus de pact. à num. 50.* aliique ab eo relati.

Prob. 5. ex ratione, Papa est Caput visibile non tantum Ecclesiarum particularium, sed etiam Ecclesie universalis simul collectæ, & quidem institutum immediate à Christo ex *Id.* atqui caput præest membris & illis non subditur, ergo in Ecclesia separatâ à S. Pontifice non est formaliter vel suppletivè potestas summa Ecclesiastica, nec ex scripturâ nec ex traditione; sed potius contrarium juxta illud: *Pasce oves meas, tu es Petrus & supra hanc petram &c.* quod si vero concilium aliquid definit sine capite, non pascuntur oves à pastore, sed pascunt se ipsas, neque Ecclesia est fundata in petrâ sed seipsâ.

Objicies 1. omnibus data est hæc lex: *Math. 18. Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesie;* ergo & Pontifex subjicitur huic legi. Ergo subjicitur Ecclesie tum activè tum passivè; Activè: id est, si in Papam quis peccaverit, dicere debet Ecclesie, & rem ei ut tribunali majiori committere; Passivè, id est: si Papa peccet, debet id dici Ecclesie, ut eum puniat.

Resp. 1. Non agitur hic de Petro & conciliis generalibus, aliàs ob quemvis defectum Christiani co-

gendum esset concilium, quod falsum est, ergo ex hoc textu non evincitur intentum.

Resp. 2. Dist. conseq. ergo & Pontifex subditur huic legi, in quantum ab ipso servari potest C. secus N. scilicet subjicitur quoad monitionem fraternam à Prælati habendam, non autem eo sensu, quod seposita superioritate, quam habet immediate ex Jure divino, possit se subjicere coactivè conciliis; est quidem Pontifex membrum Ecclesie, sed principale, est propter gregem pastor, sed gregi non subjicitur:

Objicies 2. *Act. 15.* ajunt Apostoli *Visum est Spiritui sancto & nobis &c.* ubi nulla fit sigillatim mentio Petri, sed Collegii Apostolici, ergo in Petro non agnoscebatur superioritas, imò communi nomine expediebantur litteræ Apostolicæ, sicut etiam de facto & subinde nomine conciliorum expediuntur Decreta, licet illis Papa præsideat. Resp. & dedit tamen ibidem Petrus in contextu indicia primatûs, convocando concilium, ferendo primam sententiam &c. C. secus N. porro cujus nomine expediantur Decreta concilii generalis dicetur mox infra *hoc s.*

Objicies 3. à Pontifice potest provocari & appellari ad concilium, quemadmodum non semel esse provocatum præsertim à Gallie Regibus, antiqua & recens historia perhibet. Resp. N. quod appellari possit, & ab eo quod Reges Gallie fuerint

fuerint pessimo exemplo, malum ducitur argumentum, siquidem talis appellatio nunquam fuit admissa, quin potius sub pœna excommunicationis in Bulla cœnæ *cas. 2.* sit prohibita.

Instas: Constitutiones appellationem à sententiâ papali damnantes, ab ipsismet Papis in causâ propriâ emanarunt, ergo nihil probant.

Resp. C. antec. N. conseq. quia enim deficit superior à quo Pontifex sibi Jus dici patiatur, bene ut supremus princeps in sua causa jus dicere potest, nec etiam desunt rationes, sic à Principe, qui Majestate nitet, non licet ad concilium vel regnum appellare:

^{II} Objicies 4. *c. Papa 6. dist. 40.* ubi Papa subjicitur concilio generali, quando reperitur à fide devius, nec non concilium Constantiense *Sess. 4. & 5.* in casu schismatis concilio œcumenico tribuit universalem jurisdictionem.

Ref. Casum hæreseos & schismatis exceptum esse, nam si Pontifex per possibile vel impossibile in hæresin incideret, non tam judicaretur à concilio, quatenus est Pontifex, quam qui est Pontifex, cum per hæresin ipso jure desinat esse Pontifex, qui sine fidei professione ad exemplum D. Petri, non incepit esse Pontifex. vel *Dist. Papa subjicitur concilio, & hæreticus factus potest deponi: juridicè cum jurisdictione in personam N. improprie, cum Ecclesia declarat indignum*

papatu, quo factò immediate privatur à Deo suâ potestate C. sicut etiam factâ electione confertur ipsi immediate à Deo potestas, ut si Papa fieret hæreticus, ante sententiam hominum à Deo immediate privatur papatu, & sic tantum ab Ecclesia in eum fertur sententia declaratoria criminis, ipso autem jure divino desinit esse Papa.

Idem evenit si plures Pontifices in schismate creentur, nec constet, quis ex pluribus sit legitime electus, tunc enim, cum omnes simul & semel præesse nequeant, nisi Ecclesiam monstruosam quis dicere velit, neque etiam uni, quam alteri potiora jura suffragari supponantur, oportet arbitrium esse penes concilium, quisnam pro universali pastore agnoscendus, aut Anti-Papa rejiciendus sit; & hæc est definitio concilii Constantiensis modo cit.

Objicies 5. Quando Pontifex ducit vitam muneris suo difformem, oportet adesse judicem, à quo corrigatur, ne in pernitem totius Ecclesiæ pessimo exemplo grassari præsumat, ergo oportet concilium habere aliquam correctionem & jurisdictionem supra Pontificem, ad imitationem Pauli, qui non erubuit Petrum in faciem corrigere, ut constat ex *2. ad Galatb. 5.* ubi dicit: *Cum autem venisset Cephas Antiochia, in faciem ei resitit, quia reprehensibilis erat.*

Resp.

Resp. Valde periculosum esse subditis munus judicandi adversus dominum permittere, pessimo enim articulo res Principum consistere, si cum omnium vota explere non possint, omnium invidia & criminationi paterent. Si in Principem graffari liceat, ait Cardinalis Sfondrati *lib. 2. §. 13. num. 4.* obtentu criminis, quem tu reperies throni securum? semper inter vera, quæ hominem non deserunt, aut imaginaria delicta, quæ multo veris plura sunt, Majestate dubia & vicina; & ideo sacra pagina Principibus etiam malis discolisque obtemperari volunt, *Math. 23. Luc. 12. 1. Petri 2.*

Quod si, pergit cit. Author Pontificum mores adeo facti essent & deperditi, ut in publicam perniciem exirent, velut si aliena invaderent, injustissimas leges conderent, Principum jura & regna turbarent &c. tunc nec concilio nec ejus supra Pontificem majoritate opus est, cum jus naturale omnia illa permittat, quæ ad justam defensionem pertinent; si ergo Pontifex invadat res meas, repellam, si aggrediatur, resistam, si censuris & interdictis fulminet, ostendam illo ferro & igne sano corpori opus non esse, si regno minetur, minis innocentiam & armatam opponam, quid ergo opus provocatione ad futurum concilium? hæc ille.

Ad factum D. Pauli Resp. correctionem, qua reprehendit Petrum, non produisse ex jurisdic-
D 3

ne, qua superior inferiorem solet compescere, sed ex charitate, quæ etiam subditis defert munus, amice potius, quam autoritate superiorem admonendi, ut faciat, quæ sui sunt officii; & certè Paulus non fuit totum concilium, adeoque ex facto illius non bene inferitur jus jurisdictionis, quasi id concilio competere:

Objicies 6. Concilia vel sunt necessaria vel non sunt? si sint, ergo jurisdictionem habent, qua contra Pontifices utantur; si non sunt, ad quid ergo coguntur?

Resp. Concilia simpliciter necessaria non esse, cum Ecclesia florescere possit & ultra 300. annos in prima nascentis Ecclesiæ vere inter innumeras hæreses & persecutiones flourerit, licet concilia non fuerint indicta; esse tamen concilia subinde valde utilia, quia plurimum concilio res prudentius agi creditur, aut quia ex omnium Nationum conventu certior Status Ecclesiastici habetur experientia, aut quia minus suspectum est judicium, quod totius fere orbis Christiani consensu perficitur. Sfondratus *loc. cit. §. 21. n. 10.*

Quæres 4. Conciliorum statuta cujus nomine edantur, & cui sint adscribenda?

Resp. Constitutiones conciliorum adscribenda sunt summo Pontifici, & ejus nomine edi debent.

Ratio 1. Quia denominatio sumitur à tribuente auctoritatem, non à condente, *c. Apostolica de præbend.*

*bend. in 6. c. cum aliquibus de rescript. l. 1. §. sed neque C. de V. J. E. & actus tribuitur primæ causæ. c. in litteris de rescript. l. item eorum §. decuriones ff. quod cujus univers. nom. atqui Pontifex statutis conciliorum tribuit auctoritatem, c. significasti de Elect. c. multis, c. concilia dist. 17. ergo nomine Pontificis sunt edenda, eique adscribenda statuta conciliorum. sic in sexta actione concilii Chalcedonensis dicitur: in omnibus Synodis Apocrifarii Apostolici decretas sententias propter summam auctoritatem ejusdem Apostoli & Sedis, confirmabant; unde Patres concilii Nicæni c. omnes, c. sicut, dist. 15. humiliter petierunt, ut omnia sua gesta ac infinita confirmarentur à B. Sylvestro, ut constat ex litteris Patrum & decreto confirmationis tom. 1. p. 1. concil. p. 284. idemque cum Leone Papa observarunt Patres concilii Chalcedonensis, quorum Epistola seu relatio itidem refertur tom. 2. concil. part. 1. pag. 353. Epistola autem & confirmatio Leonis paulò post pag. 366. col. 1. sic etiam novissime Patres concilii Trid. eodem modo petierunt, & obtinuerunt confirmationem à Pio IV. ut in Decreto de fine concilii & confirmatione petendâ à serenissimo Sess. 25. & in Bullâ ejusdem Pii IV. quæ incipit *benedictus Deus*. Denominatio autem fieri debet à superiore confirmante. c. si eum. de prebend. in 6. Unde Baldus scribit in *L. ex placito in 3. coll. C. de rerum permut.* statuta spoletana confirmata per Papam dici*

statuta papalia, quod etiam dixit Rota coram Gregorio XV. *decis. 267. num. 6.* & coram Cardinale Cavalerio *decis. 438. num. 3.* Non vero dici statuta spoletana; sic etiam tutor datus à patre filio emancipato, si confirmatus à prætore, dicitur datus, non testamentarius, ut notat glossa in *fin. Inst. de tut.* ergo etiam statuta concilii confirmata à Papa dici debent papalia, ejusque nomine inscribi ac promulgari.

Prob. 2. ex praxi, sic constitutiones insertæ clementinis tribuuntur Clementi V. in concilio Viennensi, vide *Clement. quia contingit de religios. domib. & septuaginta capita generalis concilii ferè omnia tribuuntur Innocentio III.*

Objicies. Constitutiones concilii generalis fuisse editas nomine concilii, patet ex *c. definitur caus. 17. quest. 8. c. 1. de judic. c. 1. de sponsal.* Sic etiam Tridentina Synodus sæpius utitur his verbis: *Sancta Synodus diffinit, statuit, mandat, prohibet, & aliis hujusmodi; sic verba hæc leguntur, sacro suadente concilio. in c. licet Græcos de Baptism. sacri auctoritate concilii c. nimis de jurejur. sacro præsentate concilio, & cum concilii deliberatione præhabita, c. ad Apostolica. de sent. & re jud. item inscribuntur ex concilio generali, ex concilio lateranensi, c. nonnulli, de cler. non resid. c. 2. de statu Monach.*

Resp. Quod multæ constitutiones à concilio fuerint denominatæ, exinde factum est, quia Romani Pontifices ad imitationem B. Petri, quan-

quandoque ex humilitate consenserunt, ut gesta, quæ sibi tribuenda essent, adscriberentur concilio, & ita procedit textus *in c. fin. caus. 2. quest. 1.*

13 Quæres 5. *An Romanus Pontifex saltem spontè se Concilio subdicere possit?*

Resp. Negativè Ita tenent Belarminus *in c. in Synodo. dist. 63 n. 6.* Fagnanus *in c. significasti de Elect. à n. 72.* & plures alii ab eo relati.

Prob. 1. Pontificia potestas est à Deo, *c. 1. dist. 22.* atqui Romani Pontifices huic potestati renuntiare aut pontificæ Majestati quidquam derogare non possunt. Ergo, 2. nemo potest judicare Pontificem, nisi sit superior *dist. 21. per tot.* atqui ut aliquis sit major aut superior Papa, nemo potest facere nisi solus Deus, Ergo

Prob. 2. ab exemplis, sic etsi Marcellinus in concilio conspersus cinere clamasset clara voce, dicens: *peccavi coram vobis*, atque ita quodammodo se supposuisset judicio Synodi, eum tamen judicare ausus est nemo, eâ ratione: *quia prima Sedes à nemine judicatur*, ut clare indicat *c. nunc autem. dist. 21.* ubi tota de Marcellino historia refertur, vide insuper *tom. 1. concil. general. & provinc. part. 1. pag. 182. & seqq.* idem colligitur ex *c. hinc etiam. dist. 17.* ubi Synodus congregata contra Symmachum autoritate Theodorici Regis, duo objiciebat eidem Theodorico, primum: quod concilium absque jussu accusati

Pontificis congregari non posset, secundum, quod primæ Sedis Antistes inferiorum judicio non subiceretur; quasi diceret, etiamsi concilium præcedente Apostolica autoritate convocaretur, nobis tamen, qui inferiores sumus, contra Pontificem maximum terre sententiam non liceret. Unde quamvis primum objectum postea sublatum esset, accedente demum Symmachii autoritate, tamen, quia supererat secundum, quod minori fas non esset in majorem Jus dicere, Episcopi non sunt ausi in eum jus dicere, sed dixerunt: *Symmachius Papa sedis Apostolicæ præsul ab hujusmodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis ac liber, cujus causam totam judicio DEI reservamus.* Certè non aliâ de causâ, nisi ut ostenderent hominibus in eum, qui supra homines est, & qui DEI vices gerit, jus dicere non licere, sic etiam concilium in resolutione non fuit usum verbo *absolvimus & liberamus*, ut mos est judicum in sententiis absolutoriis *l. 3. C. de sentent. & interloc. omn. Judic.* sed dixerunt: ipse, qui est Papa & Apostolicæ Sedis præsul, quantum ad homines respicit, sit immunis ac liber, perinde ac si dixissent: non sit liber, quasi eum nostrâ sententia liberemus, neque sit immunis, quasi eum nostrâ autoritate absolvamus, sed quia ipse est Papa & Apostolicæ Sedis præsul, nos vero homines sumus, quibus non licet de eo sententiam ferre; nemo enim,

enim, qui condemnare non potest absolvere potest *l. nemo ff. de R. I. deniq;* hoc ipsum adhuc clarius probatur in *c. nunc autē. dist. 21.* nam in eā parte quā adducit exemplum Sixti, hic Canon loquitur de concilio quod Valentini Augusti jussu convenerat, cui quidem concilio Sixtus à Martiniano accusatus se spontē subjecerat, ut ait textus in *c. mandasti caus. 2. q. 5.* & tamen textus in *d. c. nunc autem.* dicit: eum in concilio tanquam ab inferiori judicari non potuisse, atque ita ipsum concilium declarasse, ergo ibi est textus irrefragabilis juncto *d. c. mandasti.* probans Pontificem maximum etiam volentem à Concilio judicari non posse. Processus & acta accusationis Sixti III. habentur *tom. 1. concil. general. & provinc. p. 2. pag. 488.* & ejus spontanea submissio judicio Synodi *pag. seqq. c. 4. & 5.*

¹⁴ Objicies 1. Textum in *c. si nos incompetent. caus. 2. q. 7.* ubi Leo Papa se subjecit judicio Ludovici Imperatoris. ibi: *Nos si incompetentem aliquid egimus & subditis justa legis iramitem non conservavimus, vestrorum cuncta volumus emendare NB. judicio, quoniam si nos, qui aliena aebemus corrigere peccata, pejora committimus, certē non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus prae ceteris erroris magistri, inde magnitudinis vestrae clementiam magnopere imploramus, ut tales, adhaec quae diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra praesens fuisset*

Imperialis gloria, diligenter exquirant, & non tantum haec sola, quae superius diximus, quarimus ut ex amissim exagitent, sed sive minora, sive etiam majora illis sint, de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus imponeri nihil sit, quod ab eis indiscussum vel diffinitum remaneat. plura habentur in contextu praecit. can.

Resp Papa ibi ex humilitate se subjecit imperatori, ut acciperet correctionem tanquam monitionem, non quasi Imperatorem suum judicem constituisset, sic etiam judicium in *text. cit.* sumitur pro discretionem, secundum Joan. Andreā in *c. Ecclesia S. Mariae n. 5. de Constit.* quem refert & sequitur Fagnanus in *c. significasti de Elect. n. 75.*

Objicies 2. *per 1. est receptum. ff. de jurisdic. omn. judic.* Judex major potest se subicere minori, vel aequali jurisdictione contentiosa, ergo etiam Pontifex. Resp. N. conseq. quia *per d. l. superior* ibi potest prorogare jurisdictionem inferioris, & non dicitur tunc minor judicare majorem, quia prorogatio facit de minore majorem & e converso, quod Pontifici applicari nequit, e quidem ut mortalium aliquis sit major Apostolico, nemo facere, nisi solus Deus potest, ut dictum est *supra*; simile etiam habetur in Clerico, qui se Laico subicere nequit, nec illius jurisdictionem prorogare. *c. si diligenti. c. significasti. de de foro compet.*

Corol-

15 Corollarium. Ex his fuit, quod cum appellatio sit ab inferiore iudice ad superiorem provocatio. *l. i. §. si quis ff. de appellat. c. 2. de Consuet. in 6.* à sententia Concilii generalis possit appellari ad summum Pontificem, sed non è converso a summo Pontifice ad concilium, quia esset a superiore appellare ad inferiorem contra naturam appellationis. Textus est *in c. cuncta per mundum caus. 9. q. 3. c. qui se fecit. caus. 2. q. 6.* Quin imò appellantes à Romano Pontifice ad futurum concilium, eorumque consiliarii & fautores, pœnis excommunicationis, criminisque læsæ Majestatis divinæ & humanæ subjiciuntur à Pio II. *in Constit. quæ incipit Execrabilis. edita anno 1459. 15. Calend. Febr.* item excommunicantur quot annis in die cænæ Domini in Bullâ Gregorii XIII. *Consueverunt de anno 1583. pridie Nonas Aprilis.* imò addit Fagnanus *d. loc. n. 61.* cum aliis à se relatis, appellari non posse ad Christum à sententia Papæ, cum Christi & Papæ ejus Vicarii sit idem tribunal. *c. 2. de Consuet. in 6.*

16 Quæres 6. Cum Pontifex sit supra Concilium, neque sponte sua se ei subdicere possit, an sine Concilio igitur sit infallibilis in præceptis morum?

Cum ex *dd.* à Pontifice ad concilium nequeat appellari, & Pontifex sit caput ac supremus Princeps Ecclesiæ, adeoque leges etiam contradicente concilio condere, concilii statuta immutare & corrigere possit, *c. significasti de Elect. c. statutum*

de rescriptis in 6. quod pluribus confirmat Turrecremata *in summa de Ecclesia lib. 3. c. 24. & c. 44.* dicendum est, Pontificem etiam solum esse infallibilem, in præceptis morum, quæ dat pro tota Ecclesia, saltem quantum ad honestatem morum, & quoad substantiam; quoad circumstantias enim excedendi, *verb. gr.* in rigore pœnæ, multiplicatione præceptorum, ait Suarez non esse inconueniens committere humanum defectum.

Ratio hujus secundi est, quia hoc non est contra Ecclesiæ puritatem. Ratio primi est, quia approbare turpia pro honestis, vel reprobare honesta pro turpibus, repugnat puritati & sanctitati Ecclesiæ, adeoque in illis non potest errare Papa, & sic erronea præcipere Ecclesiæ, unde ait: *c. cuncta per mundum, caus. 9. quæst. 3. Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente & solvendi, quos Synodus inique damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem.* adde *can. nunc autem dist. 11.* Nec obstat *c. Anastasius dist. 19.* quia est Apocryphus & falso tribuitur Anastasio, ut convincitur ex notis, quæ immediate habentur post *d. c. in verb. Anastasius.*

Quæres 7. An Pontifex sine Concilio sit infallibilis in decisionibus & materia fidei? 17

Resp. Affirmative. ut late probatur ex *c. sunt quidam caus. 25. q. 1. c. ult. dist. 15.* sic Pontifex non puri hominis sed Dei agit in terris. *c. quanto de transl. Episcop.* adeoque

E

er-

errare non potest, quando definit ex cathedra tanquam Magister & Caput Ecclesie, quia licet Deus ei non dederit impeccabilitatem in agendo *c. non nos. penult. dist. 4* dedit tamen infallibilitatem in diffiniendo. *c. majores de Bapt. c. hæc est fides caus. 24. q. 1.* egregie S. Thom. 2.2. quest. 1. art. 10. in corp. ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Pontificis, ad quem majores & difficiliore Ecclesie quæstiones referuntur, ut dicitur in decret. dist. 17. c. multus. unde & Dominus Luca 22. Petro dixit: quem summum Pontificem constituui. Ego pro te rogavi Patrem, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesie secundum illud 1. ad Corinth. 1. id ipsum dicatis omnes, ut non sint in nobis schismata, quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesie præest, & ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter teneatur, & ideo ad solam auctoritatem summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam. adde *c. hæc est fides, can. à recta, caus. 24. q. 1.*

Prob. etiam ex ratione, Pontifici ut supremo Pastori & Petri successori tenetur Ecclesia obedire, & credere ex text. cit. Si igitur Pontifex posset falli, teneretur credere

falsum, & errare tota Ecclesia; dum ergo Christus Luca 22. dixit ad Petrum: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, per hoc aperte insinuavit donum infallibilitatis in Petro, ut est petra Ecclesie & caput illius, quod similiter erit intelligendum de successoribus Petri, cum & ii sint caput Ecclesie. 2. Pontifices hanc potestatem infallibilem in se agnoverunt, & illa usi sunt damnantes Origenem, Apollinarem, Jovinianum, Bajum, Janfenium, & recentius Innocentius XI. Molinos Quietistam, non autem credibile est, usuros fuisse illâ potestate, si eam non habuissent, cum fuerint eximie sancti, qui ea usi sunt. 3. Concilia Provincialia confirmata à summis Pontificibus recepta sunt à totâ Ecclesiâ, ut infallibilia *v. gr.* Millevitarum, Aratfic. Toletana, Carthaginensia, Lateranensia, ergo Pontifex sine concilio potest decernere aliquid esse de fide infallibiter. 4. Potestatem Pontificis definiendi in fide alligari concilio generali non expediebat, quia regulariter est difficillimum congregare concilia æcumenica, vel propter bella, vel ob sumptus vel ob alia impedimenta, & aliunde potest instare ac urgere necessitas damnandi novam insurgentem hæresim, vel declarandi aliquam veritatem necessariam, erat enim utilius ad majorem Ecclesie unitatem & amolienda plura schismata, hanc potestatem tribui Pontifici etiam solitariè sumpto.

Obji-

18 Objicient adversarii 1. Ipse Petrus (cujus successores volunt esse Pontifices Romani) non fuit pro infallibili agnitus à S. Paulo, cum ei restiterit, ergo multo minus reliqui Pontifices Romani erunt agnoscendi infallibiles. Resp. & Cephas sive Petrus toti Ecclesiae jam proposuit credendum N. & nondum ita proposuit C. Pontifici igitur tribuimus infallibilitatem, quando aliquid proponit toti Ecclesiae credendum, sive dum loquitur de cathedra, prout infra constabit.

2. In veteri Testamento summus Pontifex Caiphas & tota Synagoga cum illo erravit non recipiendo veram doctrinam, cur non igitur & Pontifex novi Testamenti errare possit? Resp. enim N. consequia eo tempore Synagoga jam erat in occasu, finiebatur cum Christi morte, quae ratio non militat contra Christi Ecclesiam.

3. Si Pontifex sit infallibilis etiam absque concilio, ergo frustranea erunt concilia, ad quid enim adhiberentur, cum sententiae Pontificis majus robur & infallibilitatem non addant. Resp. Absit, quod concilia sint frustranea, sic & Apostoli erant infallibiles, & tamen collegerunt concilium. Colligitur itaque concilium, tum, quia non ita clare apud omnes de fide est, Pontificem solitarium esse infallibilem; tum ut reliquis monstretur Pontificem non temerè procedere.

4. Omnis homo est errori obnoxius, & cur Pontifex hac neces-

sitate & lege fragibilitatis humanae esset exemptus? Resp. Verum quidem esse, quod omnis homo sit errori obnoxius, nisi specialiter protegatur à divina providentia C. si tamen specialiter protegatur N. certe dum DEUS Ecclesiam suam vult praeservare ab universali errore, primo necesse erit, ut caput erroribus non subjiciat.

S. Cyprianus pertinaciter restitit Pontifici volenti, ut non rebaptizentur illi, qui jam baptizati erant ab haereticis, adeoque etiam S. Cyprianus non agnovit in Pontifice infallibilitatem. Sed adversarii meminere, quod S. Cyprianus ideò arguatur à pluribus peccati mortalis, quod deinde delevit paenitentia & martyrio; ab aliis verò excusari S. Cyprianum, eo quod ex ignorantia restitit, quia Papa nondum definiverat tanquam de fide, licet jussit non rebaptizari, & sic servari antiquam consuetudinem. alii verò dicunt, quod S. Cyprianus judicaverit Papam loqui ut hominem privatum, & sic errare, adeoque censuit se non teneri obedire.

6. Ipse Petrus, quem Papistae dicunt primum suum Pontificem negavit Christum, licet Christus pro eo rogavit: ut non deficeret ejus fides, & cur inquit: Clemens XI. non posset errare? Verum: Resp. Petrus negavit Christum, antequam esset factus Pontifex & ore tantum negavit C. Negavit postquam esset institutus Pontifex

E 2

(quod

(quod munus accepit modò post resurrectionem) & corde negavit N.

19 7 Sed experientia & historiae factis loquuntur de erroribus Pontificum, sic Marcellinus, qui papatus fuit praefectus anno 296. thus adolevit idolis, eaque adoravit, ut ipse postmodum in publico concilio confessus est, & retractavit. Vide *Romam glorios.* P. Christoph. Ott. fol. 61. Liberius Papa Papatui praefectus anno 352. Constantii Imperatoris edicto de relegando Athanasio subscripsit. Arianis Episcopis Ursacio & Valenti erat adeo familiaris, & denique formulae confessionis Arianæ subscripsit. Vigilius omnibus Theodoræ Imperatricis insolentiis ac malitiis consensit, eique promisit restitutionem expulsi & relegati Anthimi. Sergius III. condemnavit acta Formosi Papæ & ad dictissimus famosæ meretrici Marozia; ubi in condemnatione vel erravit Sergius, vel in actis erravit Formosus? dein sordescere in libidine vel maxime est errare. Joannes XI. juxta confessionem Marozia; filius Sergii III. Pontificis, matris suæ adulteræ mores imitatus tandem papatu dejicitur. Vide Baronium *ad annum 933.* Benedictus IX. simoniae electus scandalose & impudicè vixit, vide *Romam glorios.* fol. 287.

Resp. 1. Quod factum Marcellini attinet, verum est, quod is metu mortis & blanditiis Imperatoris adactus una cum ipso Imperatore

templum vestæ ingressus, Jovis simulacro thus adoleverit; verum: non fuit hic error intellectus, sed peccavit contra fidei professionem, & solo metu externo fidem negare visus est, interiore autem actu nihil contra fidem credidit, aut docuit, cujus evidentissimum exemplum horribilis penitentia, quam postea peregit, Pontificatu sponte dimisso & martyrio ob fidem suscepto. vide Baronium *lib. 4. de Roman. Pontif. c. 9.*

2. Factum Liberii quod attinet, verum est, quod is banno Athanasii subscripsit, dum in Thraciam ab Imperatore Constantio erat relegatus & pusillanimitate ductus Romam redire suspiravit, verum etiam, quod in sua captivitate magnam habuerit familiaritatem cum Arianis Episcopis Ursacio & Valente, quos Imperatori Constantio gratos esse noverat, verum tertio, quod formulae confessionis Arianæ Syrmii ab hæreticis Arianis confectæ subscripsit, ad id dolose inductus, sed meminisse oportet, quod Liberius banno Athanasii subscripsit coactus, prout excusat ipse Athanasius, & eandem subscriptionem postea, dum ex captivitate liberatus fuerat, revocavit, quod etiam familiaris fuerit Ursacio & Valenti Arianis, ex eo provenit, quod hi duo Episcopi Ariani sese subdole finxerint genuinos Catholicos. Formula denique confessionis Arianæ adeo dolose concepta erat, ut non nisi Catholica videri potuerit, sicut S. Hilarius

Hilarius antiquus & subtilis ille Doctor Ecclesiæ eandem admiserat, (deceptus) ut catholicam; adeoque Liberius non erravit in fide, (quæ est actus intellectus) sed in confessione, & quidem non ut Pontifex loquens ex cathedra, sed ut Doctor privatus. Pariter, quod dictum de Vigilio, erravit is & peccavit non ut Pontifex sed Doctor privatus. Idem dicendum de scandalis Sergii III. Joannis XI. Benedicti IX. quorum errores & scandala fuerunt errores facti & peccata, non errores fidei, facta inquam ut privatorum, non ut legitime definitium. Sic etiam nemo dicit Pontifices peccare non posse, sed dicitur eos in authenticis definitionibus fidei errare non posse.

Objicies. Pontifices de facto ex cathedra definirunt plura fidei nostræ contraria. Nam Greg. III. in can. 18. caus. 32. quest. 7. docuit publicè, Virò ob infirmitatem mulieris, licere aliam conjugem ducere. Gelasius in can. 13. de Consecrat. dist. 2. tradidit: sine Sacrilegii reatu non posse in S. Communione Corpus Domini sine calice sumi. & in can. 24. de Consecrat. dist. cit. tenuit: Baptismum in Sanctissimæ Trinitatis aut Christi nomine, absque trium personarum expressione collatum valere. Alexander III. in c. 3. de Spons. duor. fatetur à suis prædecessoribus aliquando fuisse judicatum, matrimonium cum unâ contractum & ratum, per aliud cum aliâ contractum & consu-

matum dissolvi. Innocentius III. cap. 7. de divort. refert à quodam Antecessore suo, matrimonium ex eo dissolvi posse, judicatum, quod unus ex conjugibus in hæresin vel gentilitatis errorem labatur.

Resp. Errores qui opponuntur vel non sunt errores, vel non contra fidem ex cathedra propositi. Siquidem cit. can. 18. decidit casum infirmitatis tantæ, quæ impotentiam perpetuam ad copulam conjugalem importat, ac si matrimonium antecedit, illud facit irritum, sin verò sequatur & quidem ante consummationem, causam sufficientem dispensationi Pontificiæ præbet. Secundò cit. can. 13. ut insinuat illius summarium, loquitur de sacerdote, quod *Corpus Christi sine ejus sanguine non debet accipere*. Tertio cit. can. 24. præterquam quod explicationem competentem non respuat, ad casum particularem per rescriptum particulare emanavit, ac in materiâ quidem, quæ nondum à Sede Apostolicâ certò decisa est. Quarto cit. c. 3. de Spons. duor. non dicit Alexander quomodo & qualiter judicaverint sui Antecessores in quæstione propositâ de duobus matrimoniis, utrum ratum prius per posterius dirimatur? Unde valde incertum est, an etiam casu, quo sententiam affirmativam altè memorati Pontifices amplexi fuissent, ex cathedra sententiam dixerint; ut notat Gonzalez in *Comment. d. c. 3.* etsi cum Wagne-
reck in *Exegesi ejusd. cap.* responderi

possit, dissolutionem prioris matrimonii rati per posterius consummatum non tam ex jure communi, quam speciali dispensatione Pontificiâ dirimi, idque tacito nomine Pontifices sensisse. Quintò c. 7. de divort. similiter non exprimit, in quo prædecessor Innocentii contrarium & quomodo senserit. Quin nec Innocentius III. tanquam fidei dogma definit, non licere conjugii ad secundas nuptias convolare, quando alter in hæresin vel Ethnicismum est prolapsus, ut colligitur ex verb. non credimus, tametsi postea concilium Trid. Sess. 24. de Matrim. c. 5. definiverit. Barbosa in cit. cap. n. 2. Wagnereck. ibid. in princ. Gonzalez. ibid. in not. n. 2.

20 Corollarium I. Pontifex non est infallibilis ut doctor privatus, sive doctrinam suam verbo sive scripto tradat, imo neque ut Pontifex in quæstionibus facti particularibus, non pertinentibus ad communem Ecclesiæ fidem, religionem & morum sanctitatem, nec ullam habentibus connexionem cum quæstione Juris, aut doctrinæ fidei & morum, verb. gr. an cum hac vel illa persona circa votum aut matrimonium ex tali informatione sit dispensandum, vel dum aliquem excommunicat, aut alteri censuræ Ecclesiasticæ subjicit, quo casu fieri potest, ut innocentem condemnet; & ratio est, quia in tali judicio non exercet munus universalis pastoris, nec si erret in hoc, errat tota Ecclesia, cum talis sententiâ non proponatur de-

finitive è cathedra, ut recipienda à tota Ecclesia; dicitur tamen illos actus exercere ut Pontifex, quia robur suum habent à pontificia potestate, non tamen in casu Ecclesiam docet, adeoque nec requiritur specialis assistentia Spiritûs sancti.

Dixi: In quæstionibus facti particularibus, non pertinentibus ad communem Ecclesiæ fidem, religionem & morum sanctitatem, nec ullam habentibus connexionem cum quæstione Juris. Est inquam fallibilis in quæstionibus facti particularibus, quorum decisiones non proponit toti Ecclesiæ tenendas; si equidem toti Ecclesiæ tenendas proponat, errare non potest, alias tota Ecclesia errare posset; sic Pontifex sæpe decidens quæstionem facti, mandat etiam sub anathemate eam decisionem recipere, consequens est, quod tali casu Pontifex errare non possit, ne alias tota erraret Ecclesia. Sic etiam quando Alexander VIII. & Anno 1705. Clemens XI. declararunt sensum obvium libri Jansenii, qui inscribitur Augustinus, esse hæreticum, & obvio sensui quinque damnatarum propositionum prorsus conformem, tenentur omnes interno mentis assensu adherere Pontifici, ut infallibili, quia constitutione Clementis XI. aperte definitur, quod sensus quinque propositionum libri Jansenii sit hæreticus, & sub Anathematis pœna præcipitur, ut omnes & quidem cum juramento subscribant formularium

in

in eam rem ab Alexandro VIII. conditum, ac declaratur, quod absque illa persuasione perjurium foret; jam vero quomodo posset quis formulario huic cum firma persuasione subscribere, nisi Pontifex esset infallibilis in quæstionibus facti, tunc saltem quando illas decidit ex cathedra, sive quando illarum quæstionum decisiones proponit toti Ecclesiæ tenendas? imo quomodo potuisset Pontifex sub Anathematis pœna talem assensum & talem subscriptionem cum tali juramento ab omnibus exigere, si se fallibilem esse sentiret? verum Pontifex genus quoddam violentiæ ac Tyrannidis exerceret, si fallibilitatis suæ conscius nihilominus vindicaret sibi supremam in hominum mentes imperitiam, non secus ac si esset infallibilis.

Quod si forte reponas ad subscribendum sincere formulario Alexandri VIII. & novissimæ constitutioni Clementis XI. requiritur aliqua persuasio de hæreticitate libri Jansenii, non tamen illa in summo gradu, quæ excludat omnem ordinem, & quam sola gignere potest infallibilis autoritas, sed sufficit iudicium opinativum actualem dubitationem excludens, quale niti potest autoritate licet fallibili, ergo in damnandis libris Pontifex & Ecclesia falli possunt. Sed Dist. ad subscribendum cum juramento non requiritur persuasio in summo gradu, quæ excludat formidinem omnem N. ad subscribendum sine

juramento T. licet igitur autoritas Pontificis fallibilis sufficeret ad ad assensum probabilem sive opinativum de hæreticitate vel Catholicitate alicujus libri, non tamen sufficit ad assensum plane firmum, qualis in jurante requiritur; sic aliqua prudenter possumus vel debemus credere ex aliorum testimonio, licet id absolute infallibile esse non putemus *verb. gr.* ex quibus parentibus quisque nostrum sit, quod rite baptizatus fuerit, quæ nemo sanus in dubium revocat, etsi cum juramento ea asseverare nequeat.

Corollarium 2. Pontifex tunc dicitur loqui ex cathedra, quando ut pastor universalis authentice definiens obligat universam Ecclesiam ad aliquid tenendum vel credendum, & ad hanc locutionem definitivam, sive ex cathedra, requiritur 1. ut objectum non sit factum particulare, sed quidpiam pertinens ad fidem vel morum honestatem. 2. Ut ejus assertio sit directa responsio ad quæsitum, ea enim, quæ per modum explanationis aut confirmationis obiter ex occasione interferuntur, non censentur definita. 3. Verba directa, quibus asserat: hoc esse de fide, esse traditionem Apostolicam, contrarium esse hæreticum &c. 4. Legitima & sufficiens promulgatio, ut si decretum fuerit solemniter publicatum in acie Campi Floræ, affixum in columna illius fori, & ad valvas S. Petri per tempus legitimum. Sed

Dices:

Dices: Si Pontifex ita definit infallibiliter, ergo etiam si temere definiat sine concilio, erit credendum? sed memento suppositum negari, quod scilicet DEUS in hoc decretorum ordine possit permittere, ut temere definiat, qui enim promissit finem, debet curare ut & media adhibeantur. Deinde certum est, adhibendam esse aliquam diligentiam & consultationem cum viris doctis, quia in re tanti momenti procedendum modo humano & prudenti, & sicut Deus confirmans hominem in gratia, non aufert ab eo obligationem diligentis observationis periculorum peccandi, ita ob promissam infallibilitatem non au-

fert à Pontifice obligationem diligentis inquisitionis. Sed si ulterius

Rogas, quid si ergo non adhibeat inquisitionem, sicuti omissio diligentis inquisitionis facile accidere posset? ad hoc tibi respondeo, adhuc esse infallibilem, quia infallibilitas non oritur ex diligentia Pontificis, sed à Deo vi promissionum, unde Deus semper assistit ad unum è duobus, vel ne omittatur debita deliberatio, vel ne erret, si absque deliberatione definiat; sic Joannes XXII. cum statuisset definire, quod animæ Beatorum ante diem iudicii Deum non viderent, repentino casu mortuus est.

§. IV.

AN DIGNITAS SUPREMA SPIRITUALIS, ET VICARIATUS CHRISTI SIT PRÆFERENDUS DIGNITATIBUS MERE TEMPORALIBUS?

SUMMARIA.

1. Quid sit Majestas? 2. Pontifex habet Majestatem Ecclesiasticam. 3. In Pontificem committitur crimen læsæ Majestatis. 4. An Pontifex habet Majestatem politicam in suo Territorio. 5. Impugnatur jurisdictio politica S. Pontificis. 6. Respondetur ad argumenta contraria. 7. Quid sentiendum de donatione Constantini. 8. An utile sit Pontificem fulgere Majestate etiam politica? 9. An Pontifex habeat præcedentiam præ reliquis Principibus? 10. Ponuntur argumenta contraria. 11. Pontifex est supra reliquos

Principes quoad jurisdictionem Ecclesiasticam. 12. Recensentur argumenta adversariorum. 13. An Imperator possit deponere Pontificem? 14. An à Pontifice possit appellari ad Imperatorem & Reges? 15. An summa jurisdictio Ecclesiastica unquam fuerit penes Imperatores & Reges? 16. Refertur transactio inter Calixtum II. & Henricum V. ac explicatur. 17. In Exordio Ecclesie penes quem fuerit facultas eligendi Episcopos? 18. An S. Pontifex habeat etiam aliqualem jurisdictionem politicam saltem indirectam & extraordinaria-

naviam in principes christianos? 19. Ponuntur objectiones. 20. An Pontifex transtulerit Imperium Roman. à Graecis in Germanos. 21. Quis fuerit primus Imperat. Imperii Romano-Germanici? 22. Quid acquisiverit Carolus Magnus per translationem Imperii. 23. An summus Pontifex habeat jus eligendi Romanorum Imperatorem? 24. Quando Imperium Romanum ceperit esse electivum? 25. An aliquo casu jus eligendi Imperatorem devolvatur ad Papam? 26. An electus Imperator

debeat confirmari à S. Pontifice? 27. Ponitur secunda sententia. 28. Quotuplex sit corona & coronatio Imperatoris? 29. An summus Pontifex habeat jus coronandi Imperatorem? 30. An hoc jus sit contraria consuetudine & prescriptione extinctum? 31. An summus Pontifex possit creare Reges & territoria erigere in regna? 32. An Papa creare possit Principes, Marchiones, Comites, Nobiles, Equites? ubi recensentur ordines Equestres à Pontifice creati.

Quaestio hæc, an Pontifex sit supra Principes? dupliciter accipi potest: 1. An sit superior quoad dignitatem. 2. quoad jurisdictionem eamque vel spiritualementem vel temporalem.

Quæres 1. *An summus Pontifex habeat Majestatem?*

1. Majestatis vocabulum summi potest vel pro summa dignitate, reverentia atque autoritate, nemine in Ecclesia existente, qui summum Pontificem non recognoscat pro Ecclesie capite, vel pro summa potestate, quæ à nemine dependet, & cohiberi non potest, & hoc sensu Majestas sive Jus Majestaticum à variis objectis varia accipit nomina *verb. gr.* quando Majestas leges fert, dicitur hoc Jus, *Jus ferendi leges.* Scilicet potestas Leges universales condendi est potestas majestatica sive Majestas. Quando Majestas politica tributa imponit: dicitur hæc Majestas *Jus tributa imponendi*, sive, quod in

idem recidit, vox Majestatis vel denotat summum sub Deo Imperium vel designat dignitatem à summo Imperio promanantem. Vitriarius *Lib. 1. tit. 4. §. 9. litt. A.* igitur ad quaestionem

Resp. *Affirmativè.* Ratio: ei competit Majestatica dignitas sive Majestas, cui competit summum sub Deo Imperium, atqui ex dictis competit Pontifici summum sub Deo (saltem Ecclesiasticum) Imperium, cum sit caput Ecclesie, supra concilium, ex *dd.* ergo

Ratio 2. In concilio Romano anno 324. Constantinus Magnus agnovit: *Romanum Pontificem omnium mortalium judicem, à nemine judicari posse, neque à Clero, neque à Regibus, neque à populo.*

In Concilio Constantinopolitano anno 680. Constantinus Pagonatus in Epistola ad Agathonem Papam scribit: *Sanctissimo & Beatissimo Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ & universali Papæ.* Atqui is, qui habet

F supre-

supremum Imperium, qui est universale caput, is etiam fulget Majestatem. Ergo. Sic etiam in Pontificem committitur crimen læsæ Majestatis, prout declaratur à Pio II. in *constit. quæ incipit execrabilis*, edita anno 1459. 15. Calend. Februarii.

4. Quæres 2. An summus Princeps Ecclesia habeat Majestatem non tantum ut Ecclesiasticus, sed etiam ut Princeps politicus?

An summus Pontifex habeat Majestatem ut Princeps politicus, intelligi potest 1. an habeat summum Imperium, & quidem universale, de quo statim infra.

2. An habeat summum & independens Imperium saltem in suo territorio, adeoque & ut Princeps politicus & respectu sui territorii habeat Majestatem? Litem summo Pontifici hic movent plurimi conjurato agmine, omnemque ei sæcularem jurisdictionem adimere præsumunt; arguunt illi cum *Ein-fidel. tract. de regal. c. 1. num. 35.* contra Pontificem 1. quod regnum ipsius sicut Christi non sit de hoc mundo, ac Vicarius non gaudeat ampliori potestate quam Principaliis, neque alia vivendi ratio debeat esse familiaris Papæ, præter illam, quam Petrus & Apostoli rerum temporalium affluxu destituti tenebant.

2. Quod jurisdictio sæcularis & suprema, si quæ esset Pontifici, ab aliquo supremorum Principum debuisset fuisse collata, & fortè à Constantino Magno, verum ut scribit

Daniel Otto *Juris publ. c. 4. pag. 82.* donatio, quæ Constantino tribuitur, falsa, fictitia, commentitia, atque eumentita est; quia eandem aliter Leo IX. in *Epist. 3. ad Michael.* aliter Melchiades in *c. futuram. caus. 12. quest. 5.* Aliter Nicolaus III. in *c. fundamenta de Elect. in 6.* & alii aliter proponunt, ita ut vel hoc nomine ob diversas & sibi mutuo repugnantes formulas donatio illa merito suspecta sit, *arg. l. c. de fide instrum. 2.* quia nullibi in toto jure civili hujus donationis fit mentio, quæ certe tanquam notabilis, specialiter notari debuisset. 3. Probatum authores, quotquot de rebus gestis Constantini scripserunt, hujus donationis ne verbulo faciunt mentionem &c. 4. Quia Sylvester mortuus est anno 330. atqui dicunt hanc donationem factam esse eo anno, quo est baptizatus, nimirum 337. facta igitur erit Sylvestro septimo anno postquam jam mortuus erat. 5. Quia Constantinus filiis suis tribus Imperii corpus divisit, ac Constantinus occidentalem partem, Constantius orientalem, Constans interjectarum est Princeps constitutus.

3. Quod præscriptio temporis immemorialis, quæ firmitatem jurisdictioni tribuere posset, nequeat consistere sine bona fide, Pontifices vero in usu jurisdictionis bonam fidem nunquam habuerunt. Ideoque in hos (ut scribit *Swederus Introd. ad Jus publ. part. gener. c. 4. n. 40.*) Imperator noster perpetuam

tuam manus interjectionem, non fecus ac Dominus in servum Barbarium Philippum habeat. Verum summo Principi Ecclesiastico jurisdictionem sæcularem, ac supremam quidem constare in patrimonio Petri, seu terris ipsi temporaliter subjectis DD. Catholici pro indubitata veritate supponunt potius, quam probatu necessarium censent, cum Covarruv. lib. 4. var. resol. c. 16. n. 7. vers. 2. Molina de J. & J. Tract. 1. disp. 29 n. 9. P. Engel ad Tit. de M. & O. n. 11. & seqq. D. de Basis in Disp. de jurisd. th. 41. n. 2.

Prob. 2. ex c. cum adversum 6. & seqq. dist. 96. c. 7. §. denique. de appell. c. 31. qui filii sint legitimi c. 7. de Election. in 6. ibi: Ne autem ipsa Mater Ecclesia in congregatione & pasturâ fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adjuta, spiritualibus proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasionaliter Constantini Monarchæ à Deo provisa, sed curata baptismalibus fomentis infirmitas quandam quasi adjiceret ipsi Ecclesie firmitatem, quæ quarto die Baptismatis unâ cum omnibus Satrapis & universo Senatu optimatibus etiam & cuncto populo in persona B. Sylvestri sibi Romanam concedendo urbem relinquens, ab eo & successoribus ejus per pragmatikum constitutum disponendam esse, decernens NB. in ipsa urbe utriusque potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus declararet &c. Et ratio est, quia ut argumentatur Dominicus Sotus de J. & J. lib. 10. quest. 4. art. 5. potentia temporalis ac divitiarum, licet non

faissent Ecclesie necessaria, si omnes Episcopi, Prælati & Sacerdotes exemplo SS. Petri, Augustini, Martini, Nicolai benevolentiam ac reverentiam populi vitæ sanctimoniam demereri potuissent, quia tamen in tanto numero hoc sperari non poterat, ideo Ecclesie alio modo consulendum erat, idque etiam, ut existimatio ejus cresceret apud homines, quorum cognitio, uti à sensibus incipit, ita magis æstimat Ecclesiam splendore rerum externarum fulgentem; Positis verò & concessis bonis temporalibus, longè maxime condecebat, ut Pontifex jurisdictionem supremam sæcularem habeat, tum ut Ecclesiastica Majestas ex consortio Imperii politici incrementum quoddam sumeret, tum ne vilesceret persona Pontificis, si Principibus sæcularibus in judicio ratione temporalium sublimitatem suam inclinare deberet, tum quia magis certior ac magis perpetua erat speranda possessio bonorum, quorum omnis jurisdictio ad Ecclesiam pertinet. quod ipsum Nicolaus III. in cit. c. fundamenta, consideravit, non justum, asserens, ut, ubi sacerdotii principatum & Christiane Religionis Caput cælestis Imperator instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem, quin magis ipsa Petri Sedes in Romano jam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur, nec ulli subesset homini. quæ ore divino cunctis dignoscitur esse prælata.

6 Ad 1. Resp. quod Christus Dominus jurisdictionem temporalem habuerit, præter varia scripturæ loca, manifestè docet c. 9. *Isaia*, ubi de Christo vaticinatur Propheta: *Factus est Principatus super humerum ejus, vocabitur nomen ejus admirabilis Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis, super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia, à modo & usque in sempiternum.* Latè Molina de 7. & 7. disp. 28. à n. 12. Quod autem jurisdictione hæc usus non fuerit, non facit, quasi nequeat Pontifex, cum ad divinam virtutem apertius demonstrandam, noluerit Ecclesiam humano modo & medio in primis quasi incunabulis instruere & extruere, quæ ipsa tamen virtus ex hoc enituit clariùs, quod Ecclesia tam tenuibus initiis cæpta, tantâ & tam crebrâ tyrannide impugnata, in tantum excreverit, ut velut medullam humanæ potestatis, scilicet Romam & Provincias illuc pertinentes, possideret, etiam portis inferi non prævalentibus, & verè impletum sit illud *Haia* c. 61. v. 6. *Vos sacerdotes Domini vocabimini Ministri Dei nostri dicetur vobis, fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum (sancta gloria & gloriosa sanctitate) superbietis.*

7 Ad 2. de donatione Constantini ipse Daniel Otto negare non potest, quod ea à plurimis viris sanctitate

& doctrinâ conspicuis, historiarum laude celeberrimis defendatur, cum ipsemet *cit. loc.* fat multos adducat, & plures alios referat Covaruvias, Waizenneger, Engel *supra citat.* habetque hæc donatio fundamentum in Jure Canonico, in C. Constantinus 13. dist. 96. c. futuram Ecclesiam 15. caus. 12. quæst. 1. c. fundamenta Ecclesiarum. 17. de Electione in 6. De hac donatione d. c. Constantinus 13. inter cætera sic habet:

Utile judicavimus una cum Satrapis nostris & universo Senatu, optimatibusque meis, & cuncto populo Romane gloriæ Imperio subjacenti, ut sicut B Petrus in terris Vicarius filii Dei esse videtur constitutus, ita & Pontifices, qui ipsius Principis Apostolorum gerunt vices, Principatus potestatem, amplius, quam terrena Imperialis nostra serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis nostroque Imperio obtineant, eligentes nobis ipsum Principem Apostolorum & ejus Vicarios firmos esse apud Deum Patronos. Et sicut nostram terrenam Imperialem potentiam, sic ejus sacrosanctam Romanam Ecclesiam decrevimus veneranter honorari, & amplius, quam nostrum Imperium, & terrenum thronum, Sedem sanctissimam Beati Petri gloriosè exaltari. Tribuentes ei potestatem & gloria dignitatem, atque vigorem & honorificentiam NB. Imperialem; atque decernentes sancimus, ut Principatum teneat tam super quatuor præcipuas Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam & super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei;

&

Et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ existit, celsior et Princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et ejus judicio quæque ad cultum Dei, vel Christianorum stabilitatem, procuranda fuerint, disponantur. Et infra. Unde ut Pontificalis apex non vilescat, sed magis, quam terreni Imperii dignitas, gloria et potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, NB. quam Romanam urbem et omnes Italiae seu occidentalium Regionum provincias, loca et civitates præfato Beatissimo Pontifici nostro Sylvestro universali Papæ contradimus atque relinquimus, et ab eo et à successoribus ejus per hanc rivalem nostram et pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque juri sanctæ Romane Ecclesiæ concedimus permanens; Unde congruum perspeximus, nostrum Imperium et Regni potestatem in orientilibus transferri Regionibus, et in Bizantina Provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem edificari, et nostrum illic constitui Imperium, quoniam ubi Principatus sacerdotum et religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem.

Quin et si à Constantino re ipsa facta non fuisset hæc donatio, factam tamen ab alio evidenter docet historia, ex quâ liquet, Ecclesiæ Romanæ jam ante tempora Pipini et Caroli Magni prædia, urbes, oppida, quoad temporalia paruisse, eaque de causa Pipinum et Carolum ad retinenda à Longobardis et aliis ablata, evocatos, non

tantum reddidisse, quod ablatum erat, sed adjecisse, quæ fortè nec dum erant in pleno Ecclesiæ Romanæ dominio, hæcque sic reddita, adjuncta vel donata à subsequen-
tibus Imperatoribus fuisse confirmata. C. Ego Ludovicus. 30. dist. 63. ibi: Ego Ludovicus Imperator Augustus, statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi Beato Petro Principi Apostolorum et per te Vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici et universali Papæ et successoribus ejus in perpetuum, sicut à prædecessoribus nostris usque nunc in vestra potestate et ditione tenuistis et disposuistis Romanam Civitatem cum Ducatu suo et suburbanis, atque vicibus omnibus et territoriiis ejus montanis et maritimis littoribus et portibus seu cunctis Civitatibus Castellis, oppidis, ac villis in Thuscæ partibus. Item Clement. un. de jurejur. Cardinalis Sfondrati regal. sacerdot. lib. 1. §. 5. sub n. 4. pag. 177. pag. 179. et sub n. 12. pag. 200. Similiter non refert, quod scriptores rerum à Constantino gestarum non meminerint hujus donationis, sufficit enim, quod meminerint alii et illi non negaverint, quia nemo tam peregrinus est in jure, qui nesciat in antiquis ipsam transactionis intercapedinem loco probationis cedere. Besoldus part. 3. consil. 93. n. 50. et seqq. consil. 104. n. 2. et seqq. et fortassis memorati scriptores de donatione ideo siluerunt, vel quia ejus notitia tam erat publica, ut mentione haud egeret, vel quia ad effectum non statim

pervenerat, Gentilibus, Hæreticis, Gothicis & Barbaris continuo in Italiam grassantibus.

Præterea ut notat Waizenegger *dissert. de Imperat. & Imp. c. 3. n. 39.* historiæ veritati adversatur, quod anno 337. Constantinus fuerit baptizatus, ut enim Baronius ad annum Christi 324. contra Eusebium hominem Arianum & alios eruditè disputat, & ostendit, Constantinus eodem anno 324. lustrali lymphâ Romæ fuit expiatus à B. Sylvestro.

De Testamento Constantini authenticè non constare ait D. Ludovicus Engel. *de Major. & obed. n. 12. sub sine.* Imò potius & magis specificè de donatione; posito etiam, quod tale testamentum factum fuisset, adhuc incertum esset, an per id Imperator donationem semel legitimè factam revocare potuisset; addit ex Bœtio Waizenegger *d. l. n. 36.* primo: potuisse Constantinum, potuisse ejus filios, cæterosque successores donatione jam facta dominari, quod existimarent Imperium primum non esse donatum. 2. Eos imperasse non ut Imperatores sed ut Vicarios & Præsides summi Pontificis. 3. Potuisse intervenire multas causas, cur successores Constantini Italiæ & occidenti imperaverint, vel Pontificum tolerantiam, vel Imperatorum violentiam, vel necessitatem temporum, quæ tamen non potuerint juri Ecclesiæ Romanæ quidquam derogare,

Denique, quod ad præscriptionem requiratur bona fides, verissimum est, sed malè arguitur Pontifex malæ fidei possessor, qui patrimonium Divi Petri per tot sæcula ex titulis, si non veris, saltem coloratis inconcussè possedit, & ut ait D. ab Andlern. *in Jurisprud. publ. c. 1. tit. 5. pr. sub n. 12. Ecquid de Donatione Constantini an & externo splendore opulentiaque contra Pontificem invidiose disputatur? Si possessio immemorialis jus possessoris demonstrat, pontifex causam evicit, nec contra illum, sed contra Ecclesiam & honorem Dei, cui hæc omnia sacrata, instruitur hæc pugna.* Si urgeant & dicant, quod Imperator non potuerit donare Territorium Romanum Pontifici. Resp. Negando, cum Imperium orientale fuerit vera Monarchia, ubi populus omnem suam potestatem in Principem transtulit *l. 1. ff. de Constit. Princip.* & Imperator fuerit Supremus terrarum sui Imperii Dominus, adeoque potuerit etiam de re sua pro arbitrio disponere, prout adversarii concedere debent qui Testamentum Constantini asserunt & propugnant. Neque tunc fuerunt tales Imperii Principes, quorum consilio & consensui Imperator fuisset alligatus, sed tantum administratores & præsides provinciarum, imò ut nihil deesse videretur, Constantinus hanc donationem fecit, cum omnibus Satrapis, & universo Senatu optimatibusque suis, & cuncto populo Romano, qui omnes eam donationem utilem judi-

judi-

judicarunt, *d. c. Constant. 13.* Demum hodierni Imperatores Germani non tantum hæcenus, saltem plerique de hac donatione conquesti non sunt, sed insuper eandem verbis & factis abunde confirmarunt. *ex dd.* Summus Pontifex habet Majestatem in totum mundum, tum politicam in patrimonio Petri. Nunc ulterius

8 *Quæres 3. An utile sit, Pontificem habere Majestatem politicam & temporalem?*

Resp. Affirmativè, ut satis colligitur *ex c. Constantinus. 13. d. can. 15. caus. 12. q. 1.* audi Joannem Leuchtium *Tract. Academ. de jurid. dissert. de Imperat. & famil. origine. mutat & c. Tit. de Stabilitate sanctissimæ Sedis Pontificis fol. 247.* ubi ait: & certè Papatùs Majoritas armata utilissima est Christianis Principibus dominatione temperatis, quoniam ipsorum discrepantias æquat, arbiter est pacis, bellique justus, & arma exercet pro illis, qui injuriam patuntur, nec patitur quempiam alius Christiani Regnum invadere, conjungit eos contra hostes fidei, separaturque ab hostium fœdere & per cruciatus & indulgentias & excommunicationes pro bonis & contra malos Regnatores Christianam Rempublicam gerit tueturque, absque ipso jam anihilatus esset Christianismus, humanitùs ac politicè loquendo (si quis historias considerat) sæpe quoque principes minores à potentioribus jam devorati essent, veruntamen Princeps

nullus vivens sub religione habente summum Sacerdotem armatum cum superioritate super illum, potest propriam ambitionem prorsus effrenare.

Quæres 4. An S. Pontifex, Vicarius Christi habeat præcedentiam præ quovis Principe seculari?

Resp. Affirmative & prob. 1. *ex c. duo sunt. 10. dist. 96.* ubi Gelasius Papa Imperatori Anastasio ita scribit: *Duo sunt, quippe Imperator Auguste, quibus principaliter mundus regitur, auctoritas (NB. quæ primo ponitur) sacra Pontificum & Regalis potestas, in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino sunt reddituri examini rationem, & post pauca, nos itaque inter hæc te ex illorum dependere judicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem & c. & infra, quod aurum non jam pretiosius sit plumbo, quam regia potestate sit NB. altior dignitas sacerdotalis.* Hoc modo, circa principium sui pastoralis scribens: *Honor fratres & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adequari. Si Regum fulgore compares & Principum Diademati, longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & Principum submitti gembus sacerdotum, & osculatà eorum dexterâ orationibus eorum credat se communiri.*

Prob. 2. Ex c. 6. de Major. & obed. circa med. ibi: Præterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli, luminare majus,

ut praeset diei, luminare minus, ut praeset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus, ad firmamentum igitur caeli, hoc est universalis Ecclesia fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quae sunt Pontificalis auctoritas & Regalis potestas, sed illa, quae praeset diebus, id est spiritualibus, major est, quae vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.

Prob. 3. Ex C. Constantinus. 13. dist. 96. ubi Imperator Constantinus ait: Et sicut nostram terrenam Imperialem potentiam sic ejus sacrosanctam Romanam Ecclesiam decrevimus, veneranter honorari, & NB. amplius, quam nostrum Imperium & terrenum thronum, sedem sacratissimam Beati gloriose exaltari. Tribuentes ei potestatem & gloria dignitatem atque vigorem & honorificentiam Imperialem. Et infra, quia super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam Beati Petri, omnino ipsi ex auro non est passus, uti coronam, nos Phrygium candido nitore splendidum resurrectionem dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes NB. frenum equi ipsius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus.

Prob. 4. Ille praefendus est in dignitate, qui digniori officio praeset, at Pontifex sumus digniori fungitur officio quam Imperator, equidem Imperator vices sustinet & personam puri hominis, è contra S. Pontifex vices Dei agit. c. quanto de translac. Episc. ibi: Qui non puri hominis sed veri

Dei vicem gerit in terris, Sic etiam Papa dicitur habere caeleste arbitrium l. 1. in fin. C. de SS. Eccles. Sic etiam, quando in quodam instrumento exprimitur Pontifex & Imperator, nomen Pontificis ponitur primo loco, 2do autem nomen Imperatoris, quemadmodum in promotione Doctorum pronunciat Promotor: Ego auctoritate Pontificia & Caesarea.

Denique hanc praerogativam semper agnoverunt Imperatores: sic Pontifex Imperatori & Regibus scribit: Dilectis Filiis. vide L. 8. C. de SS. Trinitate. & litteras Clementis XI. ad Augustissimum Imperatorem Josephum I. de dato 2. Junii anno 1708. quarum inscriptio erat: Charissimo in Christo NB. filio Josepho, Hungariae & Bohemiae Regi, in Romanorum Imperatorem electo: Quod semper acceptarunt, adeoque in Pontifice semper agnoverunt praerogativam patris supra filios; quemadmodum verò pater est supra filium, sic consequenter agnoscunt Imperatores & Reges Pontificem esse supra se.

2. Justinus I. procidit ad genua Joannis I. idem fecit Justinianus II. qui prope NB. Nicodemiam procidit ad pedes Papae Constantini, primusque ejus pedes exosculatus, Ludovicus pius Imperator Caroli magni filius trina vice procidit ad genua Stephani V.

Objicies cum Vitriario Jur. publ. 10 lib. 1. tit. 4. Papa Imperatori assurgit. 2. Ejus levam in solennibus ceremoniis

monii claudit. 3. Adhuc Romæ habet Palatium suum, in quo alit designatorem, ita, ut si veniat Romam, ipso jure se illuc conferat, & Papam vel in montem *di Cavallo* vel in castrum *di S. Angelo* secedere jubeat. 4. Si moriatur Papa, ejus successor confirmationem privilegiorum & donationum à Cæsaribus factarum petere tenetur, in concilio cæsareo secretiori.

Resp. ad 1. N. quod Pontifex Imperatori assurgat, & quod 2. ejus levam in solennibus ceremoniis claudat, sic contrarium probatur 1. ex eo, quod si præsentis sint Imperator & Rex Galliarum, Imperator in solennibus ceremoniis agat Diaconum à dextris Pontificis, Rex Galliarum verò Subdiaconum à sinistris Pontificis. 2. Sic dum Alexander III. anno 1162 in Gallia pacem componere intenderet inter Ludovicum Galliarum & Henricum Britanniarum Reges, hi duo potentissimi Reges comitati sunt pedibus ex utraque latere equitantis Pontificis, tamdiu tenentes frænum equi, usque dum Alexander ad destinatum diversorium pervenisset, & equo descendisset, vide *Romam glorios.* P. Christoph. Ott. *ad annum 1162. fol. 325.* Sic 3. Fridericus Imperator ab Alexandro hoc III. excommunicatus, diu quidem contumax, tandem anno 1177. Venetias se contulit, & ibidem à præfato Alexandro die 24. Julii in Ecclesia S. Marci humaniter exceptus, & postquam pedes

Pontificis, post hæc ut filius manus Pontificis exosculatus fuisset, omnemque Pontifici obedientiam spondidisset, ab excommunicatione absolutus fuit. certè, qui osculatur & procidit ad pedes alterius non præterdit dexteram ejus, ad cujus pedes procidit, multò minus, ut is procidenti assurgat. Vide *Romam glorios. loc. cit. fol. 326.* ubi author ait: *fol. 331.* Antiquam fabulam esse, quod Pontifex prostratus & ad Pontificis pedes recumbentis Friderici collum pessumdederit, prout aliqui narrant & præterdunt, quod dum Pontifex ita pessumdedit Imperatorem Fridericum, dixerit: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis*, cui pergunt respondisse Fridericum: *Non tibi sed Petro; Sed reposuisse Alexandrum: & Petro & mihi*, quæ omnia fictitia esse, latè probat author *Rom. glorios. cit. loc.* ex Romualdi Archi-Episcopi Salernitani *Chronic.* usque ad annum 1178. Ex historia Anglicana Rogerii de Hovedem usque ad annum 1199.

Ad 3. quod Imperator adhuc Romæ habeat Palatium non plus probat Jurisdictionis competentis in Romanam urbem, aut ipsum Pontificem, quam Juris habeat Imperator Hagæ Comitum & in Hollandos, cum Imperatoris Legatus etiam Hagæ Comitum habeat palatium. Sed quod Imperatore Romam veniente Pontifex jubeatur recedere vel in montem *di Cavallo* vel in castrum *di S. Angelo*, Figmentum est Vitriarii, sine auctori-

G

tate

tate & ratione id asserentis. Ad 4. Quod successor defuncti Pontificis teneatur petere confirmationem privilegiorum & donationum à Cæsaribus factarum, rursus erroneè sentit Vitriarius, sed Neo-Pontifex suam electionem insinuat Imperatori ut Advocato Ecclesiæ, imò talis insinuatio novi Regentis etiam consueta est inter alios Principes; cur non ergo Pontifex servet hæc curialia, ut insinuet aliis Monarchis se ad Thronum Pontificium esse e- vectum? verum de petendâ donationum confirmatione non constat, imò falsum est; quod tamen etiam si supponatur, nondum sequitur, Imperatorem dignitate esse supra Pontificem, sicut non sequitur: Donatarius est, ergo dignitate est inferior, cum etiam inferior utique superiori quid donare possit.

Quæres 5. *An S. Pontifex sit supra Imperatorem & Reges quoad Jurisdictionem spiritualem?*

Resp. Affirmative. Ratio 1. ille qui Ecclesiæ catholicæ membrum est, ille etiam subditus est capiti summo Pontifici, sed Ecclesiæ catholicæ membra sunt utique Imperator, Reges & Principes Christiani, speciali jure ad ejus defensionem adstricti, ergo sunt subditi capiti summo Pontifici.

Ratio 2. qui sunt de ovili Christi, pastorem unum agnoscunt, audiunt, reverentur; Principes autem Christiani sunt de ovili Christi tanquam pretioso sanguine Christi ex faucibus infernalibus erepti, ergo

pastorem unum, qui est summus Pontifex agnoscunt, audiunt, reverentur. Ad rem dicit Bonifacius VIII. in *Extravag. unam sanctam. de Major. & obedient. inter commun. Ecclesia*, inquit: *unius & unica, unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet & Christi Vicarius Petrus Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: Pasce oves meas, & generaliter non singulariter has vel illas, per quod commississe sibi intelligitur universas. Sive ergo Græci, sive alii se dicant Petro ejusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino: In Joan. Unicum ovile & unum esse Pastorem.*

Eâdem ferè ratione discurret D. Bernardus lib. 2. de *considerat. ad Eugen. c. 9.* ubi expendens verba Evangelii *pasce oves meas*, subjungit, *quas, vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi regni? oves meas inquit, cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes; nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

3. Concilium subest Pontifici, ergo & Reges subsunt, hi enim conciliorum decreta recipere, canones amplecti, definitiones acceptare & volunt & debent, indeque in concilio Romano anno 324. præfens Constantinus magnus agnovit Romanum Pontificem omnium mortalium judicem à nemine judicari posse, neque à Regibus, neque à populo. Pariter in concilio Nycæno PP. definierunt: *Ille, qui tenet sedem Roma, Caput est & Princeps omnium*

omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos & omnes populos eorum. adde l. 7. C. de SS. Trin. ubi Justinianus sic scribit: Ita ut nulla ex parte immutaverimus vel immutemus vel pretergressi simus eum, qui nunc Dei beneficio obtinet, Ecclesiasticum statum (quemadmodum & tua novit beatitudo) sed per omnia custodiamus constitutionem unionis SS. Ecclesiarum cum summo Papa senioris Romæ, & Patriarchâ, ad quem & his similia scripsimus, neque enim suslinemus, quidquam eorum, que ad Ecclesiasticum Statum spectant, non referri etiam ad ejus beatitudinem, utpote, quæ caput est omnium piissimorum Dei sacerdotum, & quia, quotiescunque in hisce partibus heretici repullularunt, sententiâ & recto judicio illius venerabilis sedis coerciti sunt. adde l. 8. §. 6. eod. Denique videmus plures Imperatores fuisse excommunicatos, sic Henricus IV. excommunicatus à Gregorio VII. Henricus V. excommunicatus à Paschali II. Fridericus I. ab Alexandro III. &c.

4. In Veteri Testamento unus erat sacrorum & religionis præses, quem ipsimet Reges suspexerunt, sic Rex Joas Pontificem Jojadan reveritus ut parentem, sine concilio & præcepto illius agebat nihil. 4. Reg. 12. Quin & Seleucus Asia Rex & gentilis, Oniam Pontificem ita coluit, ut in gratiam illius magnis muneribus templum Hierosolymitanum cumulaverit; 1. Mach. 3.

Nempe in Deut. 17. statutum erat, ut qui superbierit nolens obedire sacerdotis (summi videlicet) imperio, morte moriatur. Cur ergo Pontificem maximum in Novo Testamento non suspiciant Reges & Principes, cum ipsius Christi in terris vice fungatur? D. ab Andlern. jurisprudent. publ. lib. 1. tit. 5. part. 1. num. 10.

5. Vel errare possunt Principes terræ in causis fidei & spiritualibus vel non? si possint: certè judicè & judicio illius indigebunt, & quidem uno, hoc est Pontifice maximo, ne ex pluralitate judicum scindatur Ecclesiæ & fidei unitas, diversis diversas sententias proferentibus; si errare nequeant, affirmas aliquid incredibile, cum enim Principibus in tanto fastigio constitutis nec potestas desit, nec cupiditas pro arbitrio imperandi, & nemo sit qui potentiam aut cupiditatem Principum aut metu aut imperio moreretur, illique, qui latus Principis stipant, ad captandam benevolentia auram, plenis buccis, omnia, quæ agunt Principes, comprobare nitantur, sanè credulitatem superat, errandi periculo Principes non subjacere, quippe quibus infallibilis Spiritus S. assistentia nunquam & nusquam promissa legitur. D. Francisc. Schmier. Tr. de jurisd. c. 2. sect. 2. §. 3. n. 106.

Objicies. Cum Conrado Ein-¹² fidel de regal. c. 1. à n. 35. est contra politica principia, ut Principes, qui singulis imperare debent, vel uni

subjiciamus. 2. Scriptura jubet *ad Rom. 13.* ut omnis anima (consequenter & summus Pontifex) sublimioribus potestatibus subiecta sit. 3. Christus *Matth. 27.* jussit pro se & Petro Casari Tributum (quod est signum subiectionis) solvi.

Resp. Conradum Einsidel ostendere se meliorem Politicum, quam Christianum, si nempe Politia non ex scitis Evangelii, sed gentium placitis mensuretur, Evangelium enim docet Ecclesiam esse unam & unum ovile, caput esse unum, & unum pastorem, adeoque si Christiani Principes velint in Ecclesia & ovili manere, caput & pastorem unum D. Petrum & ejus in pontificatu successores, quoad ea, quae salutem animae spectant, vnerari debent.

Ad 2. Quod omnis anima sublimioribus potestatibus debeat esse subiecta, vel accipitur in sensu accomodo vel absoluto? si secundum ipsi quoque Principes comprehenduntur ac sublimiori potestati subijci debent; si in sensu accomodo: adeoque excipiuntur summi Principes, & quia textus generalis est, etiam excipietur summus Ecclesiae Monarcha, quam Reges saeculi. Caeterum textus hic exponitur *in c. de Major. & obed.*

Ad 3. Resp. Aut adversarii se ipsos jugulant, aut, quod integrum textum non citent, inhumanos se ostendunt, nam Christus ibidem ex Petro sciscitatus erat, quid tibi videtur Simon? Reges

terra à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? dixit illi Jesus, ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me. mala ergo consequentia: Christus & Petrus à tributo erant liberi, ergo subiciebantur Casari. Hæc autem bona est: Christus & Petrus non tenentur solvere, quia liberi sunt, ergo subiecti non sunt.

Objies 2. cum Vitriario *juris publ. lib. 1. tit. 4.* Imperatores Papas dejecerunt, novos constituerunt, sic Constantius Liberium, Justinianus Sylverium, Otto I. Joannem XII. Henricus III. Gregorium VI. proseripserunt, expulerunt, deposuerunt. Item Otto Joanni Leonem, Henricus Gregorio Clementem substituerunt, ergo Papa non est supra Imperatorem quoad jurisdictionem Ecclesiasticam, sed potius jurisdictio Ecclesiastica summa est penes Imperatorem; deponere enim Pontifices, est actus summae Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Resp. Sfondrati *in regal. sacerdot. lib. 2. §. 20.* Constantinum Imperatorem Arianum eo jure Liberium in exilium relegasse, quo Nero martyres est persecutus. Reponit 2. Sylverium ad instantiam Theodoræ Augustæ, quod Antimum hæresis Eutichianæ damnatum restituere nollet, in exilium actum, eâ causâ pretextâ, quod contra Imperatorem Justinianum cum Gothis colluderet, fictisque eam in rem litteris, quæ colorem adde-

rent

rent calumniæ. Reponit 3. dubium esse, an Joannes XII. fuerit legitimus Papa, cum eum metu & largitionibus intrusum potius toleraverit, quam elegerit Ecclesia, ideoque principio dubio non erui medium idoneum veritatis demonstrandæ. Interim Leonem Joanni surrogatum, non agnitum ab Ecclesia, sed post obitum Joannis à Clero vel Cardinalibus Benedictum V. fuisse renuntiatum.

Reponit 4. Gregorium VI. cum videret ex una parte armatum contra se Henricum Regem, eumque implacabilem, ex altera vero parte imminens Ecclesiæ schisma, sponte papatu abiisse, Clementem verò II. omnium Romanorum consensu Gregorio successum esse.

15 Objicies 3. Cum Maimburgo scriptore Gallico, à potifice potest appellari ad Regem velut ad Canonum protectorem, ad quem spectat providere, ne quid attentetur illis contrarium, imo & Bullas sententias Legesque Ecclesiasticas ad examen Judiciumque suum revocare, arbitrarique aut aliquid Canonibus ac Gallia libertatibus adversum complectantur, ergo summus Pontifex quoad jurisdictionem Ecclesiasticam non est superior Principibus Christianis.

Resp. Cardinalis Sfondrati in *Gallia vindic. dissert. 3. §. 2. n. 3.* demus injustas esse Pontificum sententias, num ideo, quia injustæ sunt, debent majori injustitia propulsari? quæ vero major injustitia, quam

privatam injuriam publico Ecclesiæ dedecore ac damno vindicare, eamque non alieno tantum tribunali, sed etiam minori subicere? si ergo Reges sua potestate abuti contingat, an ideo privatis civibus à regia sententia obtentu abusus ad Parlamentum appellare licebit? & si quis id audeat, non in illum, tanquam læsæ Majestatis reum vindicabunt? si ergo nullius abusus prætextu appellari à Rege ad Parlamentum licet, quanto minus licebit à Pontifice ad Regem? An demum Imperator possit constituere Pontificem & saltem hoc titulo sit superior, dicetur infra. *de elect. S. Pontificis.*

Objicies 4. cum eod. Vitriario¹⁴ in *Prolegom. juris publ.* saltem ante Calixtum II. summa jurisdictio Ecclesiastica fuit penes Imperatorem. Ergo summus Pontifex inique usurpat hanc jurisdictionem. Prob. antec. Calixto II. resignavit summam hanc jurisdictionem Henricus V. postquam enim Calixtus Imperatori severius & reiterato anathemate jurisdictione Ecclesiastica interdixisset, Germaniæ Proceres, (ut ait Vitriarius *loc. cit.*) instigasset, variisque turmis subministrasset materiam, Imperator ut erat superstitiosus, totus in eo versabatur, quomodo fulmen excommunicationis extingueret, celebransque hanc ob rem comitia Herbipoli anno 1127. de consilio ordinum ablegavit Romam Arnolphum Fuldensem Abbatem & Brunonem

Spirenses Episcopum, ut de pace loquerentur cum papa, Pontifici grata res fuit; quo anno sequenti Lamperto Ostiensi Episcopo & Nuncio iter in Germaniam suscipiendum demandaverat, ut in pace cum Imperatore eum à banno liberaret, & ceteros quos fulmen Vaticanum tetegisset; Ostiensis Wormatiam attingens, ubi Imperator & ordines erant congregati, ad eas transactionis partes adegit, ut absolutus ab anathematibus præstito jurejurando in perpetuum fedi Romanæ cederet jus investendi, seu constituendi Episcopos, Prælatos, Abbates. verba transactionis hæc sunt:

16 *In nomine sanctæ & individue Trinitatis. Ego Henricus D. G. Romanorum Imperator Augustus, pro amore DEI & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domini Papæ Calixti & pro remedio anime meæ, dimitto Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo sanctæque Ecclesiæ omnem investituram per anulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis quæ vel in Regno, vel Imperio mo sunt, Canonicam fieri electionem & liberam consecrationem, possessiones & Regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernam diem sive tempore patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem S. Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum & omnium aliorum tam Laicorum, quam Clericorum, quæ in Guerra ista amisse sunt, Consilio*

Principum vel justitia, quæ habeo fideliter ut reddantur, curabo; & de veram pacem Calixto, S. Romanæ Ecclesiæ & omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt, & in quibus S. Romanæ Ecclesiæ auxilium postulaverit, fideliter juvabo, & de quibus querimoniam fecerit, debitam sibi faciam justitiam. Ego Calixtus servus servorum Dei tibi dilecto filio Henrico D. G. Romanorum Imperatori Augusto concedo electiones Episcoporum & abbatum, Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque ulla violentia, ut si quæ inter partes discordia emerferit, Metropolitanæ & Provincialium consilio vel iudicio saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii, consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno millesimo centesimo vicesimo secundo, Non. Calend. Octobris. Ita ex Conrado Urspergeni refert Vitriarius loc. cit. & pergit, hac ratione jura Imperatorum, quibus ultra 300. annos gavisi fuerunt (infelix Reipublicæ fatum) uno quasi momento elisit.

Resp. Quamvis Vitriarius acerbè referat historiam, attamen quoad ejus verba & circumstantias abstrahendo) veram esse hanc transactionem, quæ nimirum Henricus nominationes Episcoporum & aliorum

rum

rum Prælatorum cessit sedi Pontificiæ, & iis quibus alias de jure competunt, & omnia bona Ecclesiastica, quæ antea iniquè possidebat, restituerit, sedique Romana omnem obedientiam promiserit. Sed hinc nondum sequitur penes Imperatorem fuisse summam potestatem ecclesiasticam; Equidem aliud est penes Imperatorem esse jus nominandi, aliud demum est penes eundem esse summam jurisdictionem ecclesiasticam; ex hoc jure nominandi vel investiendi, malè & ineptè arguit Vitriarius ultra 300. annos penes Imperatorem stetit summum Imperium & potestatem ecclesiasticam, equidem Imperatores Romani habuerunt jus nominandi Prælatos ecclesiasticos. *c. Hadrianus 22. & c. seq. dist. 63.* Quod diversimodè ab illis usurpatum fuit, donec (ut dictum & objectum à Vitriario) electiones Episcoporum in plenissimam libertatem assertæ, & ab omni Imperatorio consensu exemptæ, salva tamen feudorum & regalium investiturâ per sceptrum faciendâ.

17 Porro advertendum est primis Ecclesiæ sæculis, posteaquam Apostoli terram cælo commutaverant, electionibus Ecclesiæ Prælatorum clerus ac populus intererat, ut latè probat Cardinalis Sfondrati *in prælud. ad Regal. sacerdot. §. 1. n. 13.* Van Espen. *J. E. U. part. 1. tit. 13.* & habetur ex multivariis conciliis & PP. vide *can. plebs, 11. c. Episcopus, 13. c. lectis, 18. c. metropolitano, 19. &*

passim dist. 63. tum quod populi non parum intersit habere pastorem, quem ipse elegerit; & ex *c. 29. de R. l. in 6.* quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari. Tum quia major affectus inter oves & pastorem excitari non potest, nisi & ovium & pastoris mutua voluntas in munus pastorale concurrat, cum ea, quæ non ipsimet eligimus vel ordinamus, non facile amemus, quo sensu hoc verum fuerit alibi dicitur. Post hæc summi Pontifices jus eligendi ex motivis urgentibus ad se trahere, ac Prælaturas plerasque liberæ suæ collationis reservare cœperunt, ut colligitur ex *Clement. 5. de Electione & Elect. potest. Extravag. 3. & Extravag. 4. eod. inter commun. Extravag. 13. de præbend. inter commun. & sparlim in regulis cancellariæ.* Postea in variis regnis varii tractatus cum summo Pontifice sunt initi, ut anno 1516. inter Leonem X. & Franciscum I. Galliæ Regem; adeoque, dum legitur Imperatori vel populo competiisse jus eligendi, nominandi, instituendi Prælatos, id eo sensu accipiendum est, quod tale jus concessum fuerit à Pontificibus ex speciali privilegio, ut olim Imperatoribus Regibusque, antiquioribus vero temporibus populo, summa tamen jurisdictione remanente penes Pontificem, utpote largiente tale privilegium; hinc quamvis penes Imperatores fuerit ex privilegio Pontificis aliquod jus providendi Ecclesiis viduatis, malè infert

infert Vitriarius penes eundem fuisse summam potestatem ecclesiasticam, quemadmodum hodie in Gallia, Hispaniâ, Austriâ, Bohemiâ, Hungaria, tale privilegium reperimus, nominandi Episcopos & alios prælatos ecclesiasticos.

18 Quæres 6. *An summus Pontifex habeat aliqualem jurisdictionem temporalem & politicam saltem indirectam & extraordinariam in Principes Christianos?*

Quæstio procedit tunc, quando exigit universale bonum Ecclesiæ, bonum animarum, periculum commune, ut si Princeps christianus incideret in gentilismum, & subditos suos ad eandem perversitatem amplectendam cogere vellet, aut intenderet Ecclesiam Romanam & fidem catholicam subvertere.

Respondeo in tali casu extraordinario saltem indirectè, quatenus Jurisdictio spiritualis est insufficientis ad avertendas tales manifestas Ecclesiæ ruinas, etiam Pontifici ad melius coercendos delinquentes competere summam aliquam indirectam Jurisdictionem temporalem; in aliis tamen casibus in tacta principum jura esse relinquenda, tenendum est. Et hæc est sententia omnium ferè Jurisconsultorum antiquorum & recentiorum, quos referunt Cardinalis Sfondrati *regal. Sacerdot. lib. 1. §. 1. n. 2.* Augustin. Reding. *Cathedr. Apost. art. 1. §. 1.* Molina *de J. & J. 17. 2. disp. 29.*

Zæsius *ad Jus Can. tit. de Constit. n. 10.* Ferdinandus Weizenegger *in dissert. jurid. de Imperat. & Imper. c. 4. n. 12. & seqq.* Glettle *in select. juris publ. c. 4. n. 20.*

Prob. 1. ex S. Scriptura, *in lib. 2. Paralip. c. 26.* legitur Otzias à summo Sacerdote regno fuisse exutus, eo quod ad sacrum ministerium manus profanas extendendo lepram sibi consciverit, *ead. lib. c. 23. & 4. Reg. 11.* Refertur Jodabæ Pontifex Reginam Athaliam regno, quod occupaverat injustè, & idolorum cultu noviter infecto turpiter dedaverat, spoliasse. *1 ad Corinth. c. 6.* ait Paulus, *nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* & *Matth. 18. v. 15.* traditur à Christo modus correctionis fraternæ, ac Ecclesiæ seu potestati ecclesiasticæ jus tribuitur, de omni peccato judicandi *Luc. 22.* cum Apostoli dixissent: Ecce duo gladii hic. Respondit Salvator; Satis est, volens dicere, duplicem Ecclesiæ potestatem competere, quam apud *Matth. c. 26. v. 52.* recondi voluit in vagina? utpote non vindictæ sed necessitatis causâ accipiendum; spirituales alterum, ut exponunt SS. Patres apud Cornelium *cit. 1. Matth. n. 5.* & Bonifacium VIII. *in Extravag. Unam sanctam. de Majorit. & obed. inter commun. Sfondrati cit. lib. 1. §. 2.* Reding. *cit. art. 1. disquis. à n. 50.*

Prob. 2. ex jure canonico, quod velut domesticum & in propria causa testimonium eo minus licet eludere,

eludere, quo magis illud sacra scriptura, concilii, ac rationi est conforme. Textus sunt in c. 34. de elect. c. 13. de judic. c. 6. de vot. & vot. redempt. c. 13. qui filii sint legitimi. cit. c. 2. de supplend. negl. Prelat. in 6. c. 2. de sent. & re jud. in 6. Extravag. ur. Joan. XXII. ne sed. vac. Extravag. Unam sanctam. de M. & O. inter commun. Extravag. 2. de privileg. inter commun.

Prob. 3. Ex conciliis universalibus, ex Lateranensi IV. c. 4. anno 1215. relato in c. 2. de Suppl. negl. Prelat. in 6. Constantiensi anno 1414. Sess. 20. 28. 31. 37. 39. 42. in quibus aperte continetur, Principes & Magnates seculares, regno, principatu, feudis, jurisdictione &c. privari, si à fide catholica & Apostolica deficiant.

Prob. 4. Ex testimoniis SS. Patrum & quidem S. Bernard. lib. 1. de Consid. c. 6. alloquens Eugenium papam: *Quid hic denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui negat tuum, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Convertite gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus, alioqui, si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus: Satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesia & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia excernendus est, is sacerdotis, is militis ma-*

nu, sed sane ad nutum sacerdotis & jussum Imperatoris.

Prob. 5. Ex ratione: partim quia officium pastoris, quod ex divina commissione gerit Pontifex, non tantum exigit potestatem pascendi oves, sed etiam abigendi hircos, lupos & prædones, si gregem Christi invadere tentent, nec aliis remediis averti queant; partim quia defensio religionis catholica, quæ principaliter est commissa Papæ, nequit fieri, nisi jus habeat, eos, qui Ecclesiam perverfis moribus, ritibus & doctrinis infestant, etiam temporalibus pœnis prosequendi, partim quia regia potestas, cum sit à Deo data propter temporalia, hæcque sint ordinata ad spiritualia, subest tanquam medium potestati ecclesiastica ad finem spiritualem consequendum, adeoque si ea abutatur princeps, nec curet sed turbet spiritualia, pontificiæ censuræ subiacebit; partim quia si princeps aliquis in hæresim labatur, leges pestíferas ferat, populum ad maligna concilia stimulet, pertinet ad summum Pontificem, tanquam Zilotem & curatorem animarum principem hæreticum, nisi velit resipiscere, degradare, leges pestíferas reformare, populum ab obligatione fidelitatis absolvere, ne miseré perire sinat animas; Partim denique, quia in Pontifice est potestas spiritualis Ecclesiam regendi, defendendi, judicandi de rebus & causis temporalibus, quantum profint vel obsint Ecclesiæ, ergo

H

etiam

etiam potestas defendendi Ecclesiam ac circa temporalia ita disponendi, ne vergant in Ecclesie detrimentum; est siquidem immotum apud Juristas principium, concessa alicui jurisdictione, ea omnia censeri concessa, sine quibus jurisdictione exeri aut exerceri nequit, *c. 5. de off. jud. deleg. l. 2. ff. de juridict. de in jure civili verum est, quod si proprius judex non faciat justitie complementum personis miserabilibus, tunc non tantum Papæ sed etiam Episcopo competere judicare de causis orphanorum viduarum, pupillorum c. 1. c. 4. c. 7. Novell. 86. adeoque Imperator agnovit potestatem supremam politicam indirectam in Pontifice & in Episcopis quasi Vicariis Papæ.*

Dixi saltem indirecte & extraordinaria i. quia aliqui cum Azor. *Instit. moral. part. 2. lib. 10. c. 6.* docuerunt: Summo Pontifici potestatem ordinariam in causis temporalibus competere: & quidem majorem, quam ipsimet Principes sæculares habeant, contra quos pugnat, quod ipsimet summi Pontifices seu sincerissimi Jurium suorum interpretes fateantur, circa res temporales quemlibet principem in suo principatu supremum esse, nec Pontifici sed principi dominatum constare. Ita Nicolaus I. *in Epist. ad Michaellem Imperatorem relatus in c. 8. dist. 10. c. 6. dist. 96. Innocentius III. in c. 6. de Major. & obed. c. 13. de judic. c. 13. qui filii sint legit. Alexander III. in c. 7. S. denique de appellat. c. 7. qui filii*

*sint legit. Clemens V. in Extravag. 2. de Privileg. inter commun. Stephanus IV. in Epist. ad Basilium Imperatorem, Gregor. II. in Epist. ad Leonem Isauricum Imperatorem, quam utramque ex Baronio refert Cardinal. Sfondrati. regal. sacerdot. lib. 1. §. 1. n. 2. Et ratio est, quia imprimis deficit autoritas, qua ejusmodi potestas legatur Pontifici delata, licet enim sit Christi Vicarius à Christo deputatus, qui utramque & temporalem & spiritualem jurisdictionem habuit, attamen est Vicarius solum in spiritualibus. Vicariatu in temporalibus penes principes supremos existente. Juxta textus sacros *Matth. 22. v. 12. ad Rom. 13. v. 1. & 7. 1. Pet. 2. v. 13. Proverb. 8. v. 15.* Deinde hæc potestas neque necessaria est Pontifici, utpote cui non corpora sed animæ, non pascua sed oves, non pecuniæ sed claves regni cælorum sunt concredite, neque etiam utilis est, cum nimia circa res temporales distractio non sinat animum spiritualibus intendere, juxta illud Apostoli *1. ad Thimoth. 2. v. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Præterea damnosa potius existeret potestas, ratione cujus Pontifex causarum temporalium ordinarium judicem inter magnates ageret, cum enim communis omnium pater & mediator esse debeat, ac judicio duorum suscepto, hoc ipso, quod uni, etiam juste & jure faveret, alteri suspectum de studio partium se redderet, nihil aliud haberet*

EX-

expectandum, quam averfionem, indignationem & ipsam vindictam.

Porro altera fententia, quæ nobis contraria & nequidem indirectam & extraordinariam potestatem concedit, est Parisiensium, nullam plane potestatem, circa temporalia Pontifici concedentium, sed omne jus cujuslibet regni aut provinciæ principi ac regi competere.

19 Objicies 1. Potestas regia cum à Deo fit, à Pontifice nec dari nec adimi potest, ergo nec indirectam jurisdictionem in Principes saculares habet.

Resp. ad antec. Potestatem regiam ita à Deo populis & ab his principibus esse concessam, ut continuam subordinationem habeant ad potestatem ecclesiasticam, à quâ si deficiat, ac deviet à semita salutis, reduci ac reformari debet.

Objicies. 2. Potestas regia se non extendit ad spiritualia, ergo nec potestas spiritualis ad temporalia se extendit. C. antec. N. conseq. Potestas spiritualis non est subordinata temporali, veluti temporalis est spirituali subordinata, non enim spiritualia propter temporalia, sed hæc propter illa sunt condita, ideoque mirum non est, quod potestas spiritualis eatenus temporalem possit constringere, quatenus hæc impedimento est, quo minus illa finem suum assequatur.

Objicies 3. à Christo (cujus Vicarius est Pontifex) circa temporalia non fuit exercita potestas in Au-

gustum, Herodem aliosve reges & principes, Ergo multo minus poterit exerceri à Pontifice.

Resp. Licet à Christo nunquam exercita fuisset jurisdictio circa temporalia (cujus tamen oppositum patet ex *Matth. c. 8. c. 21. Joan. 8.*) nihilominus exinde non concluditur, neque eam à Vicario Christi exerceri posse, quandoquidem divinæ providentiæ placuit Ecclesiam suam supernaturalibus mediis primitus ædificare, jamque ædificatam viribus & causis naturalibus conservare.

Objicies 4. Bonum Ecclesiæ non poscit ut principes ceu advocati & defensores Ecclesiæ offendantur, atque ad vindictam contra Ecclesiam excitentur, ergo nec indirecte competit Pontifici potestas temporalis in reges & principes.

Resp. ad antec. Principes quidem offendi, si admoneantur, & multo magis si expertes reddantur sui officii, attamen sicut sanitas excusat vulnus, quod agro indignanti secans infert medicus, ita & offensam principum Ecclesiæ salute excusari, ut quæ non minus, quam animæ in agro Reipublicæ corpore ac hæresi vel peccatorum illuvie corrupto sana & incolumis respirare non potest.

Et licet ipsa Ecclesiæ salus nunquam discrimen subierit ex usu jurisdictionis in causis temporalibus, hoc tamen non ipsi jurisdictioni, quantum est ex se, sed eventui sinistro adscribendum est,

H 2

non

non aliter ac bellum, quod licite susceptum persæpe belligeranti nocuit, non ex naturâ suâ, sed ex accidenti, cæterum vide historiam Roberti Brusii Regis Scotiæ, contra hanc Pontificis potestatem;

20 Quæres 7. An S. Pontifex transtulerit Romanum Imperium à Græcis in Germanos?

Resp. Romanum Imperium & jurisdictio sæcularis quatenus de facto penes Imperatores Romano-Germanicos reperitur, quoad devolutionem à Græcis ad Germanos contigere auctoritate S. Pontificis, ita sentiunt Cardinalis Sfondrati *Regal. Sacerdot. l. 1. §. 5. n. 9.* & ut is refert, Bellarminus 35. historicorum testimonis, duodecim Imperatorum, aliorumque principum & septem summorum Pontificum suffragiis probat auctoritate Leonis III. in Carolum magnum Imperium Romanum ab oriente in occidentem anno Domini 800 fuisse translatum. Ipse Cardinalis cit. præter Paulum Diaconum, qui floruit tempore Caroli M. ac alios probatissimos Historicos, in testes adducit Joannem Claverium & Danielem Pureum reformatæ religionis. Pariter consentit Aug. Rending. *Cathedr. Apostol. a. 1. disquisit. 4. n. 92. & seqq. item n. 147. & seqq.* Barboſa c. 34. de *Elect. n. 3.* Gonzalez. in *idem cap. n. 28.* Hermannus Hermes *fascicul. Jurisp. cap. 3. n. 23.* Ludovic. Ludenspör. de *success. & mut. Imper. c. 8. n. 3.* Ferdinandus Weizenegger in *dissert. politico-jurid.*

de *Imper. & Imper. c. 4. per tot.* Munchmayr in *Jure Publ. Romano-Germanico c. 1. pag. 4.* P. Engel n. 5. de *sacra unct. P. Pirrhing. sect. 10. §. 1. n. 456.*

Qui AA. dicunt, quod temporibus Leonis III. & aliquot antecessorum, Imperatores Orientis, qui simul Imperium occidentale tenebant, potestate sua non usi vel certe abusi fuerint, in perniciem religionis, nam Ecclesia Romana continuis Longobardorum invasionibus infestabatur, Græci tamen Imperatores nec auxilium nec subsidium ferebant, tum quia ipsimet bello cum Saracenis, Bulgaris, Hunnis aliisque hostibus erant involuti; tum quia in hæresin iconomachix prolapsi seviebant acerbius in Catholicos, quam Ethnici antehac in Christianos, ac Pontificem ipsum sub poena mortis in hæresin suam pertrahere conabantur; ne ergo Ecclesia diutius advocato & defensore careret, Leo III. potuit utique & debuit Imperium à Græcis auferre, ac nemini justius quam Carolo magno conferre, utpote quia una cum Patre Pipino fluctuanti Ecclesiæ auxiliarem tulit opem, ac Leonem ipsum, malignorum hominum insidiis vix Pontificatu jam expulsum defendit, & in Romana sede stabilivit.

2. Imperium Romano-occidentale ex omnium confessione non semper penes Germanos existit, sed tempore Caroli magni ad ipsos demum pervenit, ergo vel jure belli

belli, vel singulari beneficio Dei, vel electione populi, vel dono Imperatorum orientalium, vel denique auctoritate pontificia. Atqui non pervenit jure belli ad Carolum magnum, nam etsi Longobardos Italiâ dejecerit, indeque Rex Italiæ caperit appellari, attamen Imperatoriam Majestatem eo ipso necdum acquisivit, cum & Gallia & Hispania & Anglia fuerint aliquando provinciæ Romanæ, esto illarum Reges Imperatorio titulo abstinuerint, sicut & plures Romanorum provinciæ ad Persas, Parthos, Carthaginenses, jure belli transiverunt, absque eo, quod illi populi imperium Romanum sibi arrogaverint, quod in Germania de facto videmus, à qua non una regio avulsa, salvâ nihilominus Imperii & Imperatoris præminentia. 2. Tametsi Deus persæpe suo jussu & nomine regna transfulerit immediatè, veluti testes in scriptura sunt Moyses, Josue, Gedeon, Saul &c. Falsum tamen est, quod ita Imperium Romanum detulerit Carolo, utpote cum sacris tabulis nihil super hoc articulo insertum legatur. Falsum est 3. jure successionis ad Carolum devenisse, utpote qui primus omnium Germaniæ Imperatorum non potuit à Patre Pipino, qui non erat Imperator hæreditario jure imperium nancisci. Falsum est 4. prout etiam fatetur Puffinger in notis ad *Victoriarum lib. 1. tit. 4. num. 5. litt. A.* Electione populi coronam Imperii

Carolo impositam esse; neque enim populo tum temporis jus erat, Imperatorem eligendi, potestate omni in principes per legem regiam translata jam antecesserit, neque acclamationes illæ, quas populus Romanus Carolo in die natali Domini 800. coronato fecerat: *Piissimo, perpetuo, Augusto, à Deo coronato, Magno ac pacifico Imperatori vita & victoria*, auctoritativum populi suffragium in designatione Imperatoris, sed potiùs consensum approbationem, lætitiã de facto Pontificis demonstrabant. Falsum est 5. donatione Imperatorum Orientalium Carolo Imperium accessisse, erant quippe attestantibus Historicis lateque monstrante Puffingero *loc. cit.* gravissimè invitati orientales Principes, quod partem nobilissimam sui Imperii a se abripi viderent, nec ante annum duodecimum à translatione Imperii, quo Nicephorus sceptrum orientis tenuit, Carolum Augustum agnoscebant. nihil ergo superest, quam auctoritas Apostolica, cui translationem adscribunt omnes, qui veritatis amicos & hostes Pontificios se non profitentur; vide *c. 36. de Elect.*

Objicies 1. cum Conrado Einsidel *de regal. c. 1. n. 45.* Daniele Otto *in jur. publ. c. 5.* videndos esse Pontificios & eorum assentatores, qui narrant auctoritate Pontificia ad Germanos Imperium transisse. Sed

Resp. Negari non posse in translatione Romani Imperii Pontificis

authoritatem intervenisse, veluti ipsemet Otto *cit. c. 5. p. 88. & seqq.* ex historicis testatum facit longissimum catalogum antiquissimorum Historicorum, translationem hanc summo Pontifici adscribentium.

Objicies 2. cum eodem Ottone: Imperium nunquam fuit penes Pontificem, ergo nec potuit ab eo in Carolum magnum transferri.

Resp. N. conseq. neque enim opus est, ut Imperium ipsum penes Pontificem fuerit, sed sufficit, quod Jurisdictio Ecclesiastica possit se ad objecta temporalia sic extendere, ut exigente bono Ecclesiæ possit regna de gente in gentem, de persona in personam transferre, sicut Magistratus politicus ex virtute jurisdictionis potest dominium ab uno invito ex causa publica in alium transferre, esto dominium nunquam penes Magistratum extiterit.

22 Corollarium. Carolus magnus per translationem Imperii, acquisivit i. Titulum Imperatoris, & prærogativam honoris inter omnes Principes christiani orbis, quin etiam jus in reliquias Romani Imperii, D. Francisc. Schmier. *in tract. de jurisdiction. c. 3. Sect. 1. §. 4. n. 34.* & ab eo relatus D. Bonavent. Franz. *in quæst. ex univers. jur. q. 13. n. 9.*

23 Quæres 9. *An summus Pontifex habeat jus eligendi Imperatorem?*

Nota. Electio Imperatoris sive facultas eligendi Imperatorem exclusis cæteris Imperii statibus per-

tinet ex A. B. privative ad S. R. I. Electores, quoniam vero sæculo, quoque anno tanta septem virorum potestas & authoritas invaluerit, magna contentio & concertatio est inter historicos & Politicos; aliquibus ad tempora Caroli magni, aliis ad tempora & ætatem Gregorii V. summi Pontificis, & Ottonis III. Imperatoris; aliis ad annos Ottonis IV. nonnullis ad Iustra Frederici II. multis ad usum & consuetudinem provocantibus, ut notatur apud Herman. Hermes. *c. 16. Vitriarium Instit. Juris publ. lib. 1. tit. 13. n. 3.*

Verius sentit Emanuel Gonzalez²⁴ *in not. ad cit. cap. Venerabilem. 34. de Elect. n. 5.* docens: Electorum collegium & numerum authoritate Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis institutum esse; quia vero cæteri principes, qui ab electione se exclusos avertabant, suffragium suum in re tam momentosa negligere detrectabant, ab initio non statim ad executionem Pontificiam institutionem pervenisse, quousque ingentia mala, quæ ex plurium Electorum ad electionem concursu sequebantur, experti, successivâ demum observantiâ ac longavâ consuetudine eandem constitutionem receperunt, in quo sensu Innocentius III. *in c. venerabilem. 34. de Elect. & Elect. potest.* dixit: Jus eligendi Imperatorem ad Principes Electores de jure & antiqua consuetudine pertinere; de jure scilicet, si origo spectetur, de consuetudine,

tudine, si effectus & observantia consideretur.

In hanc sententiam inclinat Cardinalis Sfondrati *lib. 1. §. 6.* rationes affert, tum quia ex Sigeberto historico ad annum M. II. constat Ottonem III. inter alia cum Papa Gregorio V. de iis, quæ ad Imperii jura spectant, egisse; tum quia ab Ottonem III. jus designandi successorem non amplius usurpatum, sed Imperium à Principibus Germaniæ Henrico II. illius immediato successori per liberam electionem collatum fuit; quod signum est, eo tempore mutationem aliquam circa Electores accidisse; alioquin Imperatores eo privilegio tam magno tamque utili successores nominandi, nunquam abstinuissent; tum quia Otto III. liberis & spe liberorum carens, ne post ejus mortem ex causâ electionis discordiæ Germaniam agitent, cum Pontifice sic convenit; tum denique, quia constans omnium scriptorum Germanorum & externorum Catholicorum & Protestantium est sententia, jus eligendi Cæsarem, ductu & auspiciis Romani Pontificis ad septem Germaniæ Archi-Principes esse translatum.

In idem propendere videtur D. Woller *in quest. Select. Salzburg. quest. 6. sect. 1. n. 37. & seqq.* dum scribit, quod authores communiter tradant, Electores sumpsisse originem circa finem sæculi decimi, curante Ottonem III. Imperatore &

Gregorio V. summo Pontifice, quod eo verisimilius dicit, quia Ottonum stirps in illo ipso Ottone deficiens, viam pandebat electioni, cujus momentosum negotium sine præscitu & autoritate summi Pontificis, qui tunc erat Gregorius V. tractare nefas credebatur, utpote cum non tantum universa tunc Germania sedi Apostolicæ devotissimam se exhibuerit; sed & ipse Gregorius Germanus & cognatus Ottonis III. exstiterit. addit *in n. 39.* sub immediato Ottonis III. successore Henrico II. hæreditaria Archi officia Electorum jam effloruisse. Subdit *in n. 42.* in comperto non esse, quamdiu reliqui Principes Proceres, Status Imperii & Germaniæ populus adhuc concurrerint ad electionem; dudum verò jam ante auream bullam privative, quoad reliquos Imperii principes & status, ad solos septem Imperii Electores jus eligendi Imperatorem devenisse, prout ipsa aurea Bulla in variis locis, præsertim *in c. 4.* luculenter ostendit, conceptis verbis ad jus & antiquas consuetudines se referens. Nunc ad quæstionem

Resp. Negative. Pirhing *Secl. 10. §. 1. n. 455.* Engel *de sacra unct. n. 5. circa finem.* & prob. per *c. venerabilem. 34. de Elect.* ubi Pontifex ipse profitetur, unde illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus (ut debemus) ad quos de jure & antiqua consuetudine noscitur per-

pertinere, præsertim cum ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit. &c. Ex quibus liquet, quod Pontifex jus eligendi Romanorum Imperatorem privatim in Principes Imperii transtulerit, ejus enim Legatus, Episcopus Prænestinus non fecit aliquem eligi, nec elegit in controversiâ inter Ottonem IV. Brunsvicensem & Philippum Suevum, ut notatur in *d. c. 34. 2.* Pontifex sibi reservavit jus examinandi & confirmandi Imperatorem *d. c. 34.* ergo privatim in Electores transtulit Jus eligendi Romanorum Regem postea promovendum in Imperatorem; cum inclusio unius sit exclusio alterius; sic etiam de facto Legatus pontificius nequidem in urbe (quæ pro loco electionis est deputata) tempore electionis commorari permittitur, multominus, quod ad tractatus & consultationes prævias admitatur, neque unquam prætendit votum & suffragium in electione; Exemplo sit illustrissimus D. Albani Nuncius & Legatus Apostolicus, missus Francofurtum ad nuperam electionem invictissimi Imperatoris Caroli VI. anno 1711.

25. *Quæres 10. An saltem ad summum Pontificem devolvatur Jus eligendi Romanorum Regem tunc, quando Electores Imperii scienter indignum eligunt?*

Resp. Si Principes Electores scienter, unanimi consensu seu concordia indignum seu incapacem eligant Imperatorem *v. gr.* publicè excommunicatum, paganum, hæ-

reticum vel schismaticum, sacrilegum, fatuum, tyrannum, manifestum perjurum, vel infamem (juxta *cit. cap. venerabilem.*) tum etsi nonnulli putent, Electores ea vice privatos esse potestate eligendi, & hanc propter abusum ejusdem ad summum Pontificem devolvi, à quo & processit, & concessa est Principibus; ut docent Abbas in *cit. cap. venerabilem. n. 20.* Azor, relati à Pirrhing *loc. cit. §. 2. num. 467.* Contrarium tamen teste Pirrhing & Layman *ibidem* relato est probabilius, quia cum hæc pœna privationis & devolutionis jure canonico in *c. 7. §. fin. de Elect.* solum decreta sit in Clericos eligentes indignum ad dignitates ecclesiasticas, non debet ea pœna ad alios casus vel personas jure non expressas extendi, adeoque nec ad electionem Imperatoriam vel Electores Imperii, de quibus nihil in hoc casu jure expressum reperitur; itaque si omnes Electores indignum Imperatorem eligant, monendi sunt, ut alium eligant; quod si nolint, vel per negligentiam diu differant, tum demum summus Pontifex Imperio & Ecclesiæ providebit supremum Principem temporalem. *argum. cit. capit. 34. §. nunquid,* si vero non omnes, sed aliqui tantum ex Electoribus indignum eligant, in Imperatorem, tum potestas eligendi penes alios quamvis numero pauciores remanebit; adeoque horum electio valida erit. Pirrhing. *cit. loc. & colligitur ex cit. cap. 34. §. ob-*
jectioni

jectioni ubi inter plures causas, cur Ottonis IV. electio approbanda, Philippi Suevi autem reprobanda, affert Pontifex merita Electorum, quia Ottonis persona erat idonea, Philippi verò indigna; ratio est, quia quando aliqui scienter & sponte eligunt indignum, perinde est, ac nolint eligere, quia paria sunt non exercere actum & exercere illegitimum seu invalidum.

Quæres II. An electus in Imperatorem debeat confirmari à summo Pontifice?

26 Authores qui cum P. Pirrhing. sect. 9. §. 3. n. 468. de Elect. & Elect. potest. Affirmant. Electum in Regem Romanorum vel Imperatorem debere à summo Pontifice confirmari seu approbari, præstito prius fidelitatis iuramento Sedi Apostolicæ, nituntur *Clement. Roman. post princip. de iurejur.* ubi Clemens V. in concilio Viennensi ait: *Romani Principes orthodoxæ fidei possessores, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cuius caput est Christus redemptor noster, ac Romanum Pontificem, ejusdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei & claræ denotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem NB personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non unctionem, consecrationem & Imperii coronam accipiunt, sua submittere capita non reputarunt indignum, seque illi & eidem Ecclesie, quæ à Grecis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmo-*

dum promovendum pervenit, adstringere vinculo juramenti, prout tam mos observationis antiquæ, temporibus novissimis renovata, quam forma juramenti hujusmodi sacris inserta Canonibus manifestavit.

Ex quo inferunt, quod ante Clementem V. qui obiit anno 1314. adeoque ante annos 399. Jus confirmandi seu approbandi electionem Imperatoriam fuerit penes summum Pontificem. Idem inferunt ex d. c. 34. de Elect. & glossa in c. 24. v. Imperatorem; aperte dicit Imperatorem electum confirmari à summo Pontifice, & hoc de jure scripto ac veteri ajunt esse indubium.

Qui negant hanc confirmationem jure hodierno obtinere, pro se allegant constitutionem quandam Ludovici Bavari, Imperatoris de anno 1339. in comitiis Colonensibus latam cum consensu (ut ajunt) Electorum & Principum Imperii, quam hic refero.

Licet jura utriusque testamenti manifeste declarent, Imperialem dignitatem & potestatem in filio Dei ab antiquo processisse & Deum per Imperatores & mundi Reges jura humano generi aperte tribuisse, & quod Imperator ex solâ electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget confirmatione seu approbatione; quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed etiam gentes sub sunt & Nationes: & ipse Dominus noster Jesus Christus mandavit Math. 22. quæ sunt Dei, Deo, & quæ sunt Cesaris

Cæsari reddenda; quia tamen nonnulli avaritia & ambitionis cecitate devicti, & nullius scriptura intelligentiam habentes, sed divertentes à tramite recti sensus in quadam iniqua & prava commenta & in assertiones detestabiles prorumpunt contra potestatem Imperialem & jura Imperatorum, Electorum & aliorum Principum & Imperii fidelium, committentes & fallaciter adferentes, quod Imperialis dignitas & potestas est à Papa, & quod electus in Imperatorem non est verus Imperator, nec rex, nisi prius per Papam aut Sedem Apostolicam confirmetur, approbetur, & coronetur; & per hujusmodi pravas assertiones & pestifera dogmata, hostis antiquus movet lites, jurgia suscitatur, contentiones parit, & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitandum, & consilio & consensu Electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediate à solo Deo, & quod de jure Imperii & consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem seu Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex sola electione est Rex verus & Imperator Romanorum censendus, & nominandus, & eidem ab omnibus Imperio subjectis obediendum, & administrandi jura Imperii & cetera faciendi quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papa sive Sedis Apostolica aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu; & ea propter hac in perpetuum valitura lege decernimus, ut electus in Imperatorem concorditer

vel à majori parte Electorum, ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis Imperio debeat obediri, & administrationem & jurisdictionem Imperialem & Imperialis potestatis plenitudinem habeat, & ita habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur, quicumque autem contra hæc declarata, decreta & definita, aut aliquid eorum asserere seu dicere aut assentientibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis vel litteris vel præceptis obedire præsumserit, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis & immunitatibus à nobis vel prædecessoribus nostris, iis concessis ex nunc privamus & ipso jure & factò decernimus esse privatos; insuper eos crimen læsæ Majestatis decernimus incurrisse, & penis omnibus impositis crimen læsæ Majestatis committentibus subjacere. Datum in Coloniensi Civitate Alemanniæ, An. Domini MCCCXXXIX.

Verum Authores primæ sententiæ respondent hoc edictum Ludovici IV. sive Bavari fuisse latum ab eo, in contemptum sedis Apostolicæ, à qua excommunicatus, & nunquam pro legitimo Imperatore agnitus fuit; adeoque contemptum hunc non plus probare, quam resistantiam alterius ad independantiam aspirantis, & juri superioris se subtrahere volentis, quod verò Electores inviti tale edictum ac ipsum etiam Ludovicum pertulerint, nec edicto tali consensum præbuerint, exinde relucet, quod præfati Electores

Electores se Pontificiæ authoritati postmodum omnino submiserint, postquam suæ libertati restituti erant, eligentes in oppido Rens in Regem Romanorum, Regem Bohemiæ Carolum IV. quo indicarunt, se non agnoscere legitimum Imperatorem, qui à Sede Apostolicâ non esset agnitus talis ac confirmatus; & consequenter cit. edicto Ludovici IV. contradixerunt.

Secundo pergit prima sententia, de consuetudine etiam ac jure novissimo desiderari approbationem pontificiam ad electionem imperatoriam, quod probant ex eo, quia etiam Carolus VI. modernus Imperator augustissimus ante coronationem & unctonem præstitit juramentum ac promisit, quod Romano Pontifici debitam subjectionem exhibere velit. Frustra autem subjectionem prætenderet summus Pontifex, nisi de negando confirmationem, posset ad hanc promittendam subjectionem compellere. 2. Imperator jurato promittit subjectionem, ergo est subjectus; si sit subjectus, ex eo necessario fluit, quod superior jus personæ subjectæ quærendum confirmare aut irritare possit; sic omnium Imperatorum electiones constanter & confestim insinuantur, sedi pontificiæ, ut hæcenus factum est.

Alii respondent: Neque Jus electionem imperatoriam confirmandi, neque ullum jus supra Majestatem Imperatoriam præten-

ratorem Josephum I. datis de dato 16. Junii 1708. quarum tenor hic est:

Clemens XI.

Hæcenus lenitatis & patientiæ dedimus grande documentum, cum à te Cesar sæpè lacecessiti, ac tuis armis etiam vulnerati, non modo nos ultionis cupiditas non excitaret, sed culpam patienter dissimulavimus, ne graviter descenderemus ad pœnam, egimus semper erga te ceterosque Principes, veluti bonus pater erga suos filios, qui singulos cum amantissimè diligit, non patitur quemquam inter illos amoris sui principalem locum occupare, neque per te licuit, de benevolentia erga te nostra dubitare; oblivisci non potes, cum Imperii Regimen suscepisti (nihil addit de regimine approbato, confirmato, quæ sanè objiceret, si simile quid obtineret) quando eam tibi ceterisque Imperiæ ordinibus luculenter satis ostendimus, dolebamus (hic exponit, in quo exposuerit benevolentiam) te primum regnis imperare, cum te inter Gallumque Regem vehementissimum bellum arderet, diu multumque studuimus tranquillitati tuæ, ac tale dissidium auctoritate nostra componere, enixè conati sumus; verum sic alte vulnus erat impressum, ut indies recrudesceret magis, ac cujuscunque manum respueret; veruntamen etsi pacem habere non licuit, Studia patriæ nunquam omisimus, curavimus igitur semper paternam quandam indifferentiam, ut ad id magis idonei essemus, conjunctionem armorum, quæ

I 2

nobis

nobis offereretur, ut exteris legionibus Italia liberaretur, constanter rejecimus; ne locus esset suspicioni, accepimus milites tuos ac detrimenta, quæ ab iis dominii nostri pars melior accepit, pene negleximus, nec ad aures tuas jussimus quarelas nostras deferri. Neapolitana expeditio à nobis initium habuit & incrementum, & quod nec vi nec armis consequi potuisses, u'tro concessimus, ut commodis tuis & profectibus tuis favere non magis, quam nostræ felicitati videremur, cum vero lenitas & tanta patientia non modo in Ecclesiam debitum obsequium non confirmaverit, sed illi ruinas & damna inferendi consilium dedisse, videatur, nos quoque omisâ lenitate & patientia severissimè munus nostrum explebimus, opinamur conscientiam tuam tibi ipsi denunciaturam fore, te irretitum teneri, cum Ecclesiastici dominii partem non ita exiguam hostiliter deperdatas es, pensiones ac beneficia, quæ ministris Ecclesiæ conferebantur, tibi adjudicaveris, executione violentâ; accedit etiam, sic enim ex literis tuis accepimus, quod causam Christi Domini nostri, ejusque in terris Vicarii tu ipse velis judicare. Desiste fili ad reverentiam Ecclesiæ (si esset approbatus & confirmatus à Pontifice Imperator, non reverentiam solum, sed plus juris ac subjectionis utique in tali casu prætenderet Pontifex) animum revoca, obliviscemur nos injuriarum, ac te tanquam primogenitum filium diligemus, sed si perstabis in tanta intemperantia consilii, abjiciemus patris clementiam, & in te tanquam Rebellem filium (non jure confirmationis &

approbationis dependentem) excommunicatione & armis etiam si opus fuerit animadvertemus, neque verò timebimus, quicquid etiam eveniet, Christi Domini, ejusque Ecclesiæ causam defendimus, Christus ipse vires dabit, ut vincamus, & si te non pudeat Ecclesiam & Deum ipsum oppugnare & ab avita pietate austriaca & præcipuè patris tui Leopoldi sanctæ sedi addictissimi, declinare, idem ipse Deus, qui regna confert (adeoque Pontifex confirmando non confert) regna disperdet, 16. Junii 1708.

Respondet prima sententia etiam si ex his litteris non constaret jus approbandi ac confirmandi imperatorem competere Pontifici, ex juribus supra allegatis satis constare juxta quæ hæc litteræ essent explicandæ.

Respondet 2. quod nihil addat de regimine approbato & confirmato, inde fit, quia non erat ad rem; quod 2. exposuerit, in quo benevolentiam exhibuerit, non autem meminerit benevolentiam per approbationem & confirmationem exhibitam, rursus non inferri, deesse jus confirmandi, cum mentio unius beneficii compatibilis cum altero, non sit exclusio alterius. 3. Quod Pontifex hortetur Imperatorem ad reverentiam, per hoc neque excludit aliud jus, nec utique etiam imperatorem ipso titulo confirmationis debere reverentiam. 4. Quod Deus det regna, mediatè scilicet, verum esse, sed quod

quod Pontifex det immediatè confirmando. &c Hujus tamen arduæ quæstionis veritatem potius decidendam suffragiis collegii electoralis relinquo.

Quæres 12. *An summus Pontifex habeat jus coronandi Imperatorem?*

27 Nota. 1. Coronationem neo-electi Imperatoris esse triplicem, scilicet Aquisgranensem, Lombardicam & Romanam *A. B. c. 22. c. 24. & 26.* sicut tres sunt coronæ, una quam Imperator olim accipiebat Aquisgrani, altera, quam accipiebat Mediolani vel Modetiæ, & tertia, quæ illi imponebatur Romæ à Pontifice, interim tamen corona Romana etiam alibi poterat imponi, sicut Carolo V. imponebatur Bononiæ, ter igitur olim coronabatur Imperator, de quo etiam est in Pontificali Romano titulus de triplici Imperatoris corona.

28 Resp. Pontifex habet jus coronandi Imperatorem, & ita quidem, ut neo-electus Imperator coronam Romanam suscipere teneatur.

Prob. 1. *per Clement. Romani in princip. de jurejur ibi: Per nostras sibi manus impendi unctionem & coronationem. item ibid. decernentes unctionem, consecrationem Imperiique Romani coronam sibi per manus nostras debere concedi.* Sic etiam Ferdinandus IV. in sua capitulatione *art. 37.* expresse promisit: *Wir NB. sollen und wollen die Römische Königl. Cron / wie Uns als erwählten Römischen König wohl ziemet / empfangen / weniger*

nicht Uns zu Empfangung der Königl. Cron NB. beförderen. vide capitulationem Caroli V. *art. 30.* Ferdinandi I. *art. 27.* Capitulationem Rudolphi II. *art. 31.* capitul. Mathiæ *art. 38.* capitulationem Ferdinandi III. *art. 39.* capitulationem Josephi *art. 36.* hinc concludit Kipping *Instit. Polit. lib. 1. c. 16. n. 27.* Coronationem papalem adhuc esse necessariam; imprimis cum fiat ad laudem Dei, & imperii salutem, ut Carolus V. *in Recess. Wormat. de anno 1521.* loquitur.

Objicies à tempore Caroli V. 29 nullus Imperator amplius fuit coronatus à summo Pontifice, sic Ferdinandus I. & II. Maximilianus II. Mathias, Leopoldus & modernus invictissimus Imperator Carolus VI. Francofurti, Rudolphus II. Ferdinandus III. Ratisbonæ, Ferdinandus IV. & Josephus Augustæ vindelicorum sunt coronati, ergo videtur coronatio à Pontifice facienda in desuetudinem abiisse.

Resp. N. Consequent. quia hæc coronatio hæctenus omiſſa ob varias tum viæ, tum temporis circumstantias consentiente tamen Pontifice; coronatio equidem Romæ facienda plurimos sumptus & molestias adfert statibus & proceribus imperii, magnum comitatum Imperatori formantibus sub pœna amittendi feudi; qui comitatus vocabatur expeditio Romana, der Römer Zug / adeoque ex libera dispensatione Pontificis circa coronationem Romæ faciendam nequit
I 3 argui

argui, contraria consuetudo, aut præscriptio contra jus Pontificis, hæc equidem præscriptio & titulo & bona fide destituta esset.

30 Quæres 13. *An summus Princeps Ecclesiasticus habeat potestatem creandi reges?*

Quæstio hæc procedit de principe non subiecto Imperio Romano aut alteri regno, adeoque de principe non recognoscente superiorem, an is inquam possit a Pontifice creari rex? adeo ut à reliquis orbis Monarchis talis debeat agnosci & talis honorari?

Pro sententia affirmativa videri potest 1. quod Paulus IV. regnum Irlandicum teste historia condiderit. 2. Quod Pontifex Joannem regem Britannia, qui ob occisum Arturum provinciam in Francia & Britannia exuebatur, creato rege Britannia Ludovico regis Gallia filio (unde nata præsentio regis Gallia in Angliam) iterum in regnum restituerit. teste Gastel *de Statib. public. Europe pag. 149.* 3. Wilhelmus IV. Rugerii III. filius in utriusque Sicilia regem creatus est ab Hadriano VI. ut refert Bodinus *lib. 1. de reb. publ. c. 9.* 4. Boleslaus titulum regium Polonia à Pontifice petiit teste Baronio *in annal. histor. tom. 1. ad annum 1000.* nihilominus ad quæstionem

Resp. Negative. Ratio 1. illa potestas agnoscenda est in summo Pontifice, quæ conducit ad beatius regimen Ecclesia, scilicet vel ad

promovendum bonum spirituale Ecclesia, vel peccata tollenda; ad neutrum verò deseruit potestas erigendi novum regnum. 2. In Pontifice est solummodo potestas summa secularis indirecta, quatenus illa exerceri potest, dum agitur de salute anima. At verò erigere novum regnum non pertinet ad salutem anima. Ergo. 3. hæc potestas nunquam fuit agnita in Pontifice, sic cum Pius V. duci Florentino characterem regis tribueret, Maximilianus II. imperator valde contradixit. vide Thuan. *lib. 46. du May Estat de l'empire dial. 2. part. 1. p. 63.* hinc

Resp. ad 1. Negando historiam, sed potius Henricus VIII. postquam defecit à fide, usurpavit titulum regis Hibernia, adeoque hunc titulum non recognovit à summo Pontifice. Ad 2. dico ibi non esse creatum novum regnum, sed regiam dignitatem vi potestatis secularis supremæ indirectæ ab uno esse ablatam, alterique collatam. Ad 3. Resp. ut ad primum. Ad 4. dico Boleslaus ab Ottone III. creatum regem, à papa verò agnitum; sicut indicat versus sepulchro Boleslai Pofonia inscriptus elegantia polonicâ:

Ob famam bonam tibi contulit Otto coronam.

Quod si urgeas & dicas ex Historicis constare, quod Pontifex regna transtulerit de gente in gentem. Ergo & potest regna condere & novos reges creare. Resp. N. conseq. quia

quia transferre regna supponit gravissima delicta; è contra in erectione novi regni nihil intervenit, quod sit etiam indirectè obnoxium potestati Pontificiæ.

Quæres 14. *An Pontifex possit creare Duces, Principes, Marchiones, Nobiles & Equites?*

Resp. Affirmativè, Ratio, quia hæc potestas est annexa Monarchiæ, atqui Pontifex in suo territorio est Monarcha. Ergo. Sic potestas hæc agnoscitur in Imperatore & omnibus regibus, Pontifex autem verè regiam potestatem habet, & Monarchicam in suo territorio, ergo. 2. Id desumitur ab exemplis quotidie obviis, sic fere omnes Principes qui vel Romæ vel in territorio Pontificio inveniuntur, creaturæ sunt Pontificum. quod ceterum Pontifex creare possit & creaverit Equites, abunde constat; tales integros ordines à Pontificibus erectos probant

Equites S. Mariæ Bethlemitica fundati à Pio II. anno 1459. quibus in sedem concessit Pontifex Insulam Lemnos, pro insigni ordinis ge-

rebant crucem rubram in campo candido, brevi tamen extincti.

Equites S. Georgii Romæ fundati à Paulo III. ipsisque in sedem concessa est Ravenna, insigne ordinis erat crux aurea circumcincta laureâ deauratâ, quæ gemmis & floribus erat ornata.

Ordo Equitum S. Petri, erectus à Leone X. anno 1520. cujus insignia erant ex una parte aurea bulla cum imagine S. Petri & regentis Pontificis insinibus, ex altera verò parte claves & corona pontificia.

Equites S. Pauli, fundati à Paulo III. anno 1540. insigne ordinis erat imago S. Pauli dependens ex catena aurea.

Equites Aurati, creati à Pio IV. anno 1566. de insignibus Ordinis AA. variant.

Equites S. Mariæ Lauretane, creati à Sixto V. insigne erat imago B. Virginis Lauretanæ.

Denique Pontifex confirmat omnes Ordines Religiosos Equestres, confirmare autem est dare completum esse & complete instituere.

§. V.

TITULUS SUMMI PONTIFICIS, ET QVO STYLO
SCRIBAT RELIQVIS INFERIORIBUS.

SUMMARIA.

1. Quotuplici respectu summus Pontifex considerari possit? 2. Pontifex nondum coronatus quomodo scribat,

ubi recensetur stylus Bullarum. 3. Quid sit Breve Apostolicum? ejusque forma refertur. 4. Bullæ Pontificiæ quid sint? 5. Quem

5. *Quem titulum sibi attribuat summus Pontifex in suis rescriptis?*
 6. *Quo titulo summus Pontifex salutetur ab aliis.* 7. *Pontifex dum rescribit Personæ singulari, eam nunquam appellat numero plurali.*

8. *Omnes in dignitate ecclesiastica constitutos usque ad Episcopos inclusive appellat venerabiles fratres.* 9. *Quomodo appellat Imperatorem, Reges, Principes Imperii?*

Titulus Pontificis alius est, quem is sibi impertitur, & is duplex; aliter enim se scribit electus tantum, aliter consecratus; alius demum, quo ab aliis vel ecclesiasticis vel sæcularibus salutatur. Unde

I Nota 1. Summum Pontificem esse 1. Universalem & primum totius Ecclesiæ Episcopum *c. suspectos, caus. 3. quest. 5. ex supra dd.* esse 2. Patriarcham Romanum. 3. Versus occidentem esse Primatem. 4. Urbis Romæ Archi-Episcopum *c. statuimus, dist. 4. l. victor. C. de summa Trinit.* sic Archi Episcopus magnæ Romæ appellatur *c. in tantum, dist. 21.* ibi: *Sanctissimum & Beatissimum Archi-Episcopum magnæ Romæ Leonem.* 5. Episcopum Romanæ Ecclesiæ. *c. si quis Episcopus, caus. 2. quest. 6.* scilicet S. Joannis in Laterano. 6. Principem in territoriis Ecclesiæ.

2 Nota 2. Pontifex electus & antequam sit coronatus ex stylo non intitilatur Pontifex, nec scribit pontificatum in datâ; sic etiam ante coronationem Papa non exprimit nomen suum in Bulla, sed dimidiâ Bullâ utitur, & se electum nominat, *Gloss. in proam. in fin. Clement. licet de Elect. & in cap. signifi- ficasti. n. 32. eod., Fagnan. in cap. eam*

te num. 12. de rescriptis. Cui consuetudini adstipulatur *l. ult. in fin. ibi: ex quo Imperiales suscepimus Insulas. C. de quadrien. præscript.* unde dies coronationis dicitur ortus imperii *l. omnes C. de feriis*, nec dicitur Imperator nisi corona suscepta *l. antepenult. ff. de militari testam.*

Quare ante coronationem scribit Papa ante datam locum & diem, videlicet: datum suscepti à nobis Apostolatus officii anno &c. sicut tunc etiam Episcopus non scribit se simpliciter Episcopum, sed sic scribit: talis, puta Gregorius, electus Episcopus. Rursus tunc temporis non bullat bullâ integrâ, sed si quas litteras concedit, ponit mediam Bullam, id est; illam partem, quæ habet capita sculpta, & ex alio latere, quo ponitur nomen, plena est Bulla sine nomine. Post coronationem vero scribit pontificatum in data, non ut prius: datum suscepti à nobis Apostolatus officii anno: sed: datum pontificatus nostri anno, præterea vocat se simpliciter Episcopum, & dat bullam cum suo nomine, prout hæc notantur per Joan. Andr. in data sexti libri in gloss. *in verbo pontificatus*, ubi etiam fit mentio erroris nonnullorum Jurisperitorum, qui deinde

de malè pronunciarunt in prioritate & posterioritate quorundam expectantium, & hunc stylum esse observandum respondit Anton de Butr. *conf. 43. aggrediar in princ. Præposit. in c. in nomine Domini n. 19. dist. 23.*

3 Nota. 3. Pontifex vel rescribit partibus consulentibus super causa controversa, vel supplicantibus pro gratia aliqua, prius vocatur rescriptum iustitiæ, alterum verò rescriptum gratiæ, quæ si sint paucis verbis & compendiosis conclusa, sive in quibus concessio paucis verbis summam conclusa ac comprehensa, vocantur breve Apostolicum, sigillatum sub annulo piscatoris in cera rubra. Per Breve Apostolicum olim & à principio cum in usum deductum est, negotia iustitiæ tantum expediebantur, ideoque inter rescripta iustitiæ à nonnullis numerari solent, quamvis nunc etiam plura, quæ ad gratiam pertinent, per breve expediuntur. Tholosan. *de rescriptis lib. 1. c. 36.* Est igitur Breve Apostolicum brevis scriptura in modicis concessa negotiis, in papyro descripta, & cera rubra annuloque piscatorio subfignata, ac nomine secretarii subscripta: *Rebuff. in praxi regular. 14. vers. Breve Apostolicum.* Breve Apostolicum expeditum consignatur parti clausum, clausurâ tamen perfrinctoriâ, & quæ à quolibet potest impunè violari.

4 Rescripta verò, quæ ampliori forma sunt concepta, & quibus

est appensum plumbum, dicuntur Bullæ Pontificiæ. Hæ Bullæ vel respiciunt gratiam, & bullantur cum filo serico rubeo & croceo, vel respiciunt administrationem iustitiæ, & bullantur filo cannabis, in quo plumbum pendet.

Nota. 4. Pontifex in nullo rescripto aut litteris Apostolicis exprimit omnem seriem, & narrationem suæ dignitatis, prout faciunt plures alii Monarchæ, uti Imperator in titulo suo se vocat Regem Bohemiæ, Hungariæ, addendo reliquas ditiones, Rex Galliæ se vocat Regem Franciæ & Navaræ, amplissimam etiam titulorum nomenclaturam sibi tribuunt Rex Hispaniarum & Poloniæ. Verum summus Pontifex unice exprimit suum nomen loco omnium titulorum *v. gr. Clemens XI.*

Nota. 5. Quando scribitur autè supplicatur Pontifici, non appellatur titulo *v. gr. Serenissimi* aut *Potentissimi*, nec *Reverendissimi*, sed solummodo salutatur sub appellatione *Beatissimi Patris*; sic intus in libello supplici, aut litteris ad eum datis, ita ponitur:

Beatissime Pater.

Exponitur humilliter sanctitati vestræ, &c. quod etiam in Germanismo obtinet, & dicitur *Ihro Päbstliche Heiligkeit*: porro tribuitur Pontifici titulus *sanctitatis*, ratione officii & vicariatûs Christi, quod munus est sanctissimum, adeoque non tam personæ quam officio tribuitur sanctitas,

K

Nota,

7 Nota. 6. Summus Pontifex cujuscunque scribat, etiam Regi aut Imperatori, nunquam utitur numero plurali, si uni scribat, adeoque nunquam scribit *Vos* vel *Vester* c. 6. de crim. falsi. 2. Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos salutat: *Venerabiles Fratres*. 3. Imperatorem, Reges ceterosque Principes appellat filios *v. gr.* in litteris.

Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem.

9 Dixi, quod Imperatorem, Reges & Principes appellet *dilectos filios*, scilicet in principio litterarum, in contextu demum pro diversitate personarum tribuit titulum *Majestatis*, in specie qualiter scribat Imperatori colligitur ex litteris supra citatis. ad Imperatorem Josephum p. m. datis de dato 2. Junii. 1708. quarum inscriptio erat,

Charissimo in Christo filio nostro Josepho, Hungaria & Bohemia Regi, in Romanorum Imperatorem electo.

In contextu verò & quidem statim in principio ponit: *Majestatis tua*, idemque repetit sæpius in iisdem litteris.

Porro ceteros Imperii principes sæculares summus Pontifex decorat titulo *nobilis Viri*, ut patet ex rescripto quodam Gregorii XV. ibi: *Dilectus filius, nobilis vir Albericus, Cibo Malaspina, sacri Romani Imperii, & Massa Lunen. Sarzan. Dioecesis Princeps.* titulum hunc notat & de eo attestatus Hieronym. Paul in *praxi Cancellarie S. Institutiones pro secularibus*. Theodor. Amyden. tract. de offic. & potest. datar. cap. 5. S. 2. num. 6.

§. VI.

DE TERRITORIO PONTIFICIO.

SUMMARIA.

1. Territorium Romanum quodnam dicatur. 2. Quid sit patrimonium Petri? 3. a numero tertio recensentur cetera ditiones Pontificie.

4. Avenionensis Comitatus quomodo pervenerit ad sedem pontificiam?

Quoniam dignitas principis ut plurimum etiam desumitur à territorio ejusdem, dignitatem & Majestatem politicam summi Principis ecclesiastici ultimo libet delineare, ex ejusdem territorii,

Sunt autem terræ Pontificie.

1. Campagna di Roma, Ducatus, cujus Metropolis Roma.
2. Patrimonium S. Petri, in quo Viterbium.
3. Ducatus di Castro.

4. Ter-

4. Territorium Orvieto, five Urbevetanum, in quo Orvieto Episcopatus.
5. Territorium Perusinum, in quo Perusa.
6. Ducatus Umbriae, in quo Spoletum.
7. Territorium Sabinense, in quo Narnia.
8. Marchia Anconitana, in qua Ancona.
9. Ducatus Urbinus, in quo Urbinus Episcopatus.
10. Romania, in qua Ravenna.
11. Ducatus Ferrariensis, in quo Ferrara.
12. Territorium Bononiense, in quo Bononia Episcopatus.

^K Porro ad *Territorium Romanum* pertinet Tivoli five civitas Tiburcensis Episcopatus. 2. Frascati five Tusculum, aut Frascati. 3. Ostia five Ostia sic dicta, quia ad ostia Tyberina, Cardinalis Decanus ibidem est Episcopus. 4. Palestrina five civitas Palestrina, fert titulum Ducatus & Episcopatus. 5. Terracina five Terracina sub titulo Episcopatus. 6. Civitas Veletri five Velitana sub titulo Episcopatus, sed uniti cum Episcopatu Ostiensi. 7. Segni five Segna, sub titulo Ducatus & Episcopatus. 8. Anagnina Episcopatus. 9. Civitas Albano five Albanum, Episcopatus.

² II. *Patrimonium Petri*, five provincia patrimonii continet 1. Viterbio five Viterbium, sub titulo immediati Episcopatus. 2. Civitatevechia five centum cella, est portus maritimus, olim Episcopatus,

nunc fortalitium bene munitum, & instructum milite praefidiario, praesertim a tempore Innocentii XI. 3. Monte fiascone, five mons fiascorum ad lacum Bothsenam, urbs quae aedificiis deficiens, generosissimo tamen vino celeberrima. 4. Orta five Hortanum sub titulo Episcopatus, locus ad Tyberim situs. 5. Urbs Nepi five Nepesina. 6. Bracciano five Braccianum sub titulo Ducatus pertinet ad familiam Urfinorum.

III. *Ducatus castro*, five Castrensis Ducatus, in quo Castrum, urbs immediate pertinens ad Pontificem.

IV. *Orvieto*, five urbevetanus ager, cujus Metropolis Orvieto Episcopatus. 2. Huc pertinet Aquapendente Episcopatus. 3. Bagnaria.

V. *Ager Perusinus*, quo pertinet Perusia Metropolis & Episcopatus, quae civitas bene munita vallis, 2. Frata. 3. Piena.

VI. *Umbria*, quo pertinent Spoletum five Spoletium ad fluvium Moragia sub titulo Episcopatus & Ducatus. 2. Rieti, latine Reate est Episcopatus immediate ad Papam pertinens. 3. Fuligno Episcopatus. 4. Toti Episcopatus. 5. Nocera Episcopatus. 6. Terni Episcopatus. 7. Assisii five Assisium Episcopatus. 8. Amalia Episcopatus.

VII. *Sabina five terra Sabina*, quo pertinent, 1. Magliano five Maglianum Episcopatus, qui semper conceditur uni ex senioribus sex Cardinali-

dinalibus. 2. Narni five Narnia sub titulo Episcopatus. 3. Ottricoli, Episcopatus. 4. Vafecovio, Episcopatus.

VIII. *Marchia Anconitana*, quo pertinet 1. Ancone five Ancona, Metropolis Episcopatus ac portus maritimus, de quo Adagium, *unus portus Ancone, unus Petrus Rome, una curria Cremonae*, hæc tria nimirum esse celebriora in Italia, *der See Hafen zu Ancon, S. Peter zu Rom/ der Thurn zu Cremon*; 2. Fermo five Fermum, sub titulo Archi-Episcopatus. 3. Loreto five Loretum sub titulo Episcopatus. 4. Recanati, Episcopatus. 5. Ascoli five Ascolum, urbs magna & munita, sub titulo Episcopatus. 6. Macerata. 7. Osimo. 8. Jesi five Asium urbs Episcopalis. 9. S. Severino, Episcopatus, alias Sirolo, quo omnes homines penè veniunt, qui Loretum accedunt, unde natum adagium: *Chi vo à Loreto è non Sirolo, vede la madre, ma non vede il figliuolo*. 10. Tolentino, Episcopatus. 11. Acoli, Episcopatus. 12. M. Alto, Episcopatus. 13. Camerino Episcopatus. 14. Ripatransone Episcopatus.

IV. *Ducatus Urbinas* five Urbinus, qui olim pertinebat ad familiam & domum Rovero, qua extincta sub Urbano VIII, ad sedem Apostolicam pervenit. Huc pertinet Urbino five Urbinum ad fluvium Foglia, sub titulo Episcopatus. 2. Pefaro five Bisaurum, ad mare Adriaticum & instructum Castello, Epi-

scopatus. 3. Fossombrone Episcopatus. 4. S. Leon Episcopatus. 5. Cagli, Episcopatus. 6. Senigaglia, Episcopalis urbs & portus maritimo instructa, ubi quot annis mensè Augusto celeberrimæ nundinæ habentur. 7. Citta di Castello, Episcopatus. 8. S. Angelo, Episcopatus. 9. Rimin Episcopatus.

X. *Romania* five *Romandiola*, ad hanc Provinciam pertinet Ravenna Metropolis & Archi-Episcopatus ac portus Maritimus. 2. Faenza, Episcopatus. 3. Sarsina Episcopatus. 4. Rimini urbs mari adfita & Episcopalis. 5. Cesina, Episcopatus. 6. Imola Episcopatus. 7. Forti Episcopatus. 8. Bologneso, Episcopatus. 9. Berfricoro, Episcopatus.

XI. *Ferrara* five Ferrariensis Ducatus, quem interfecat, & percurrit Padus fluvius (five: *der Pó*. huc pertinet 1. Ferrara five Ferraria, sita ad partem fluvii, urbs munita vallibus & Castello. 2. Cento. 3. Buendeno. 4. quondam Comachio. 5. Longossure. 6. Francolino. quæ Ducatus non ita pridem lites moverat, causæ verò iustitiam aliis relinquendo decidendam.

XII. *Ager Bononiensis*, terra summè fertilis, quo spectant 1. Bologne five Bononia, celebris ab Episcopatu, Universitate, fertilitate & ædificiis. 2. Bentivoglio five Bentivoglium, urbs parva quidem, sed Episcopatu instructa. 3. Pietro, Episcopatus. 4. Vergate, Episcopatus.

patus. Cæterum ex regno Neapolitano ad Pontificem etiam spectat Benevento, ex medio ferme Neapolitani regni gremio. Nihilominus utraque Sicilia à sede Pontificia dependet jure feudi, estque feudum Pontificium.

⁴ His terris Italicis accedit in Galliâ Comitatus Avenionensis, Avignon, cujus caput eodem no-

mine appellatur Avignon, urbs magna & pulchra in Provincia sive Provence, ad Rhodanum, quam urbem interfecat fluvius Sorgue. In hac urbe anno 1303. Universitas & Archi - Episcopatus fundatus. Hanc urbem anno 1348. à Joanna Caroli II. Comitis in Provence filia, titulo emptionis acquisivit summus Pontifex Romanus.

DISSERTATIO II.

DE

POTESTATE SUMMI PRINCIPIS ECCLESIASTICI.

PRæterea dignitas summi Principis Ecclesiastici vel maxime relucet ex ejusdem potestate, à qua non minimum mutuatur splendorem, & à qua metimur fulgorem Majestatis. Frustra equidem Majestatem ambiret, à quo omnis potestas procul exularet; quapropter qui ad Pontificis Majestatem non cupit caligare, eamque non fictitiam intueri, ejusdem Imperii radios universum orbem perstringentes oportet investigare. Hinc fit

§. I.

DE POTESTATE LEGISLATIVA SUMMI PONTIFICIS.

SUMMARI A.

1. Summus Pontifex habet potestatem legislativam immediatè à DEO.
2. Potestatem hanc potest exercere

summus Pontifex electus, licet nondum sit coronatus. 3. Potest legem universalem condere, etiam non requisito consensu

K 3